



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Qvaestio Sexta. De modo assumptionis quantùm ad ordinem in sex
articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

Forma Textus.

REFERTUR primò ex Augustino hæresis Apollinaristarum dicentium Deum Christum carnem solam sine anima rationali suscepisse. Deinde tribus rationibus confutatur & eisdem probatur opposita veritas, nimirum debuisse Dei filium animam rationalem & Mentem assumere. Prima ratio est; quia opinio illa aduersatur narrationi euangelicæ &c. Secunda ratio est; quia repugnat utilitati Incarnationis, quæ est iustificatio hominis à peccato &c. Tertia ratio est; quia repugnat veritati Incarnationis.

Expositio Textus.

HAERESIM Apollinaris refert accuratè & confutat Valsq. disp. 37. c. 1. & 2.

Circa primam rationem nota declarationem Cai. Quomodo autem in Christo fuerit administratio, declarat S. D. & expositores infra quaest. 15. art. 8.

Circa secundam & tertiam rationem aduertè, potuisse quidem Deum per sui potentiam absolutam animam assumere sine mente, & actiones eius ac assumptæ naturæ ad iustificationem hominis ordinare, & per eas efficaciter hominem à perditione liberare: quamvis ea liberatio non fuisset per modum meriti, sed alijs modis, puta redemptionis, sacrificij & efficientiæ physicæ, sed longe minor fuisset in hac assumptione ac liberationis modo congruentia ob secundam & tertiam rationem D. Th. in textu; in quibus Verbum repugnantia solam conuenientia negationem importat: nam quod attinet ad secundam rationem, certum est homines per actiones & passiones assumptæ naturæ, etiam si nulla esset in ea gratia habitualis, potuisse iustificari (quāvis non ita congruè) quoniam ex gratia vniōnis valor in eas deriuaretur infinitus. Tertia verò ratio, quæ magis virget, probat eam assumptionem repugnare veritati diuinæ, supposito quòd Deus alia via veritatem aperiendo mentes hominum non præsauerat ab errore; sed facta veritatis manifestatione sola superesset minor conuenientia. Vide præterea quæ notat hic Med. & Por. in appendice.

QVAESTIO SEXTA.

De modo assumptionis quantum ad ordinem in sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est de ordine Assumptionis prædictæ.

Circa quod queruntur sex.

Primò, utrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima.

Secundo, utrum assumpserit animam mediante spiritu, siue mente.

Tertiò, utrum anima fuerit prius assumpta, quam caro.

Quartò, utrum caro Christi fuerit prius à Verbo assumpta, quam anima unita.

Quintò, utrum tota humana natura sit assumpta mediante partibus.

Sextò, utrum sit assumpta mediante gratia.

Ratio ordinis.

IN NATURA assumpta à Filio Dei consideramus primò naturalia substantialia, quales sunt partes eius essentielles scilicet anima & caro & ipsa tota natura. Secundo superadditas perfe-

ctiones supernaturales, ex quibus præcipua est gratia; igitur de ordine assumptionis humanæ naturæ agit primo S. D. quo ad substantialia inter se comparata in primis 5. art. Deinde quo ad substantialia per comparisonem ad gratiam in ultimo articulo. Quo ad substantialia verò inter se comparata, duplex ordo in assumptione potest inter ea considerari, scilicet naturæ & temporis. Differit ergo primò S. D. de utroque ordine assumptionis inter partes essentielles humanæ naturæ, quæ sunt anima & caro, in primis quatuor articulis: deinde de ordine assumptionis inter totam humanam naturam, & eius partes in quinto articulo. Quo ad ordinem autem assumptionis inter partes, queritur primò de ordine naturæ in 1. & 2. articulo. deinde de ordine temporis in tertio & quarto articulo. Prius autem agit S. D. de ordine naturæ quam de ordine temporis, primò quia assumptioni ut assumptio est, proximior & ut ita dicam intimior est ordo naturæ, quæ ordo temporis: quoniam ordo naturæ de quo queritur, est ordo causalitatis in assumptione passiva; quatenus scilicet vnum est alteri causa siue ratio, quòd sit assumptibile: ordo verò temporis omnino extrinsecus & per accidens se habet ad assumptionem: secundo quia ordo doctrinæ postulat, ut primò quæ vera sunt & ex principijs notis lumine naturali sunt demonstrabilia, præmittantur: deinde falsitates excludantur, quæ circa eandem materiam, licet non secundum eandem rationem catholicæ veritati sunt aduersæ.

Cum itaque sit in assumptione partium humanitatis verus ordo naturæ: nullus autem sit ordo temporis & hunc statuere sit error intollerabilis, rectè prius de ordine naturæ quàm de ordine temporis quælibet proponuntur. Et quia prima & notissima comparatio partium secundum ordinem naturæ est illa, quæ fit inter carnem siue corpus & animam, quæ sunt veræ & reales partes humanitatis: altera verò magis occulta est illa, quæ est inter animam & spiritum siue mentem, qui sunt duo gradus vel quasi duæ partes animæ secundum rationem; ideo primò agit de ordine assumptionis inter carnem & animam in primo art. Deinde de ordine assumptionis inter animam & spiritum siue mentem in secundo articulo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd Filius Dei non assumpserit carnem mediante anima, ar. 1. & disp. 3 q. 5. a. 2. Perfectior enim est modus, quo Filius Dei unitur humane naturæ, & partibus eius, quàm quo est in omnibus creaturis. Sed in creaturis est immediate per essentiam, potentiam, & presentiam. Ergo multò magis Filius Dei immediate unitur carni, & non mediante anima.

Præterea: Anima & caro unita sunt Dei Verbo in unitate hypostasis, seu personæ. Sed corpus immediate pertinet ad personam, siue hypostasis hominis, sicut & anima, quoniam imò magis videtur se de propinquo habere ad hypostasis corpus, quòd est materia, quàm anima, quæ est forma: quia principium indiuiduationis, quæ importatur in nomine Hypostasis, videtur esse materia. Ergo Filius Dei non assumpsit carnem mediante anima.

Præterea: Remoto medio separantur ea, quæ per mediū coniunguntur: sicut remotæ a superficie, cessaret color à corpore, qui inest corpori per superficiem. Sed separata per mortem anima, adhuc remanet vniō Verbi ad

q. 50. ar. 2. bi ad carnem: quod infra patebit. Ergo Verbum non
conungitur carni mediante anima.

Sed contra est, quod August. dicit in Epist. ad Vo-
lufianum: Ipsa magnitudo diuinae virtutis, animam si-
bi rationalem, & per eandem corpus humanum, totū-
que omnino hominem in melius mutandum coopta-
uit.

Respondendo dicendum, quod medium dicitur res-
pectu principij, & finis. Vnde, sicut principium, & finis
important ordinem, ita & medium. Est autem duplex
ordo. Vnus quidem temporis, alius autem naturæ. Se-
cundum autem ordinem temporis non dicitur in mysterio
Incarnationis aliquid medium: quia totam humanam
naturam simul sibi Verbum Dei vniuit: vt infra pate-
bit. Ordo autem naturæ inter aliqua potest attendi
dupliciter. Vno modo secundum gradum dignitatis, si-
cut dicimus Angelos esse medios inter homines, & Deū.
Alio modo secundum rationem causalitatis: sicut dici-
tur media causa existere inter primam causam, & vl-
timum effectum. Et hic secundus ordo aliquo modo co-
sequitur primum: sicut enim dicit Dion. 13. c. de Diui-
no. Deus per substantias magis sibi propinquas agit in
ea, quæ sunt magis remotæ. Sic ergo, si attendamus
gradum dignitatis, anima media inuenitur inter Deū,
& carnem: & secundum hoc potest dici, quod Filius
Dei vniuit sibi carnem mediante anima, sed & secun-
dum ordinem causalitatis ipsa anima est aequaliter
causa carnis vnienda Filio Dei: non enim esset assump-
tibilis, nisi per ordinem, quem habet ad animam ra-
tionalem, secundum quem habet, quod sit caro huma-
na. Dictum est enim supra, quod natura humana præ
cæteris est assumptibilis.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex ordo con-
siderari potest inter creaturam, & Deum, Vnus qui-
dem secundum quod creatura causatur a Deo, & de-
pendent ab ipso, sicut a principio sui esse: & sic propter
infinitatem sue virtutis Deus immediatè attingit quæ-
libet rem, causando, & conseruando. Et ad hoc perti-
net, quod Deus immediatè est in omnibus per essentiam,
presentiam, & potentiam. Alius autem ordo est, se-
cundum quod res reducuntur in Deum, sicut in finem.
Et quantum ad hoc inuenitur medium inter creaturam
& Deum: quia inferiores creature reducuntur in Deū
per superiores: vt dicit Dionys. in lib. Celest. hierar. Et
ad hunc ordinem pertinet assumptio humana naturæ
a Verbo Dei, quod est terminus assumptionis: & ideo
per animam vniuit carnem.

Ad secundum dicendum, quod si hypostasis Verbi
Dei constitueretur simpliciter per humanam naturam,
sequeretur quod corpus esset ei vicinius: cum sit mate-
ria, quæ est indiuiduationis principium: sicut & ani-
ma, quæ est forma specifica, propinquius se habet ad
naturam humanam. Sed quia hypostasis Verbi est pri-
or & altior, quam humana natura, tanto id quod est
in humana natura, propinquius ad eam se habet, quā-
tū est altius: & ideo propinquior est Verbo Dei anima,
quam corpus.

Ad tertium dicendum, quod nihil prohibet, aliquid
esse causam alicuius quantum ad aptitudinem, & co-
gruitatem, quo tamen remotā, illud non tollitur: quia
sieri alicuius dependet ex aliquo, postquam tamen est
in facto esse, ab eo non dependet. Sicut si inter aliquos
amicitia causatur aliquo mediante, eo recedente ad-
huc amicitia remanet: & si aliqua in matrimoniu du-
citur propter pulchritudinem (quæ facit congruitatē
in muliere ad copulam conjugalem) tamen pulchri-
tudine cessante, adhuc durat copula conjugalis. Et
similiter separata anima, remanet vnio
Verbi ad carnem.

Sensus questii.

CARNIS nomine totum corpus hic intelli-
gitur, quod ex principaliori parte signifi-
catur: dictio verò illa mediante, id est mediij ra-
tionem habente, declaratur in textu, vt hic et-
iam aduertit Caietanus.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione cum sub diuisione
respondetur quæsitō tribus conclusionibus:
Distinctio est: Medium dupliciter dicitur, scilicet
secundum ordinem temporis & secundum or-
dinem naturæ. Probatur: quia, sicut principium
& finis important ordinem, ita, & medium: sed
duplex est ordo; vnus quidem temporis: alius
autem naturæ; ergo duplex est medium: vnum
secundum ordinem temporis: & aliud secundum
ordinem naturæ. Prima propositio probatur;
quia medium dicitur respectu principij & finis;
ergo, sicut principium, & finis important ordi-
nem, ita & medium.

Subdiuisio est: ordo naturæ inter aliqua potest
attendi dupliciter: Vno modo secundum gradū
dignitatis, sicut dicimus Angelos esse medios
inter homines & Deum: Alio modo secundum
rationem causalitatis, sicut dicitur media causa
existere inter primum & vltimum effectum. De-
claratur hæc subdiuisio comparatione membro-
rum eius adinuicem: nam secundus ordo aliquo
modo consequitur primum. Quia sicut ait Dio-
nysius: Deus per substantias magis sibi propin-
quas agit in ea, quæ sunt magis remotæ.

PRIMA CONCL. Secundum ordinem temporis
non dicitur in mysterio Incarnationis aliquid medium.
Probatur: quia totam humanam naturam simul
sibi Verbum vniuit; ergo.

SECUNDA CONCL. Si attendamus gradum
dignitatis potest dici, quod filius Dei vniuit sibi carnem
mediante anima. Probatur: quia anima media in-
uenitur inter Deum & carnem.

TERTIA CONCL. quæ non nisi implicite
habetur in textu: secundum ordinem causalitatis
Filius Dei vniuit sibi carnem mediante anima. Pro-
batur: quia anima est æqualiter causa carnis vni-
enda Filio Dei; ergo. Antecedēs probatur: quia
caro non esset assumptibilis, nisi per ordinem,
quem habet ad animam rationalem; ergo. Pro-
batur hoc assumptum: quia caro secundum hunc
ordinem habet vt sit caro humana; ergo non est
assumptibilis, nisi per hunc ordinem. Probatur
hæc consequentia: quia natura humana præ cæte-
ris est assumptibilis.

Expositio Textus.

ADVERTE primò primam conclusionem in
textu positam fuisse, non vt principaliter
intentam sed ad faciliorem difficultatis propo-
sitæ declarationem: iam enim diximus, quæsi-
tum huius articuli intelligendum esse de medio
assumptionis secundum ordinem naturæ tan-
tū. De eius veritate disputant latè Suar. dispur.
16. & Vafq. disp. 37. c. 4.

Secundò Nota primū argumentum D. Tho.
ad modū enthymematis sic posse formari: Deus
est in creaturis immediatè per essentiam, po-
tentiam & præsentiam; ergo multo magis Filius
Dei immediatè vniuit carni & non mediante a-
nima. Antecedēs patet: Consequentia probatur:
quia perfectior est modus essendi quo filius Dei
vni-

vnitur humanæ naturæ, quàm quo est in omnibus creaturis. Responso verò formalis consistit in negatione consequentiæ. Cuius negationis rationem affert S. D. quia duplex (inquit) est ordo inter creaturam & Deum: alter secundum dependentiam creaturæ ab ipso tanquàm à principio sui esse, & secundum hunc ordinem necesse est, Deum attingere immediatè quamlibet rem causando & conseruando: ac proinde esse in omnibus rebus immediatè per essentiam, potèntiam & præsentiam: Quia virtus Dei agentis est infinita: alter ordo est secundum reductionem rerum in Deum tanquàm in finem; & secundum hunc ordinem inuenitur medium inter creaturam & Deum, vt patet ex Dionysio. Et ad hunc ordinem pertinet assumptio humanæ naturæ à Verbo Dei, quod est terminus assumptionis; & idè per animam vnitur carni.

In qua responsione duo sunt obseruanda, & explicanda. PRIMVM est ratio illius dicti; videlicet secundum ordinem dependentiæ creaturæ à Deo necesse est Deum attingere quamlibet rem immediatè, &c. Probatur enim hic; quia virtus Dei agentis est infinita. Cuius rationis vim explicat S. D. in 3. cont. gent. cap. 68. radix autem eius habetur in 1. p. q. 8. a. 1. Vbi probatur Deum esse in omnibus rebus immediatè; quia Deus est ipsum esse per essentiam, ex quo sequitur, quod esse creatum est proprius effectus eius: esse autè, vt ait S. Doct. ibi, est illud quod est magis intimum cuiuslibet & quod profundius inest: igitur oportet vt Deus sit in omnibus & intimè: constat autem ipsum esse per essentiam esse infinitum simpliciter: & idè ei tanquàm agenti simpliciter infinito deberi virtutem infinitam simpliciter, qua causet rerum omnium esse, quod est omnibus rebus intimum; idè oportet, vt Deus sit in omnibus immediatè per essentiam, potèntiam & præsentiam; sed hic non est locus plura dicendi. Vide quæ scripsimus in quatuor Contr. ad dictum a. SECVNDO obseruandum est D. Th. hic loqui de medio secundum ordinem executionis ad finem assequendum: non autem secundum ordinem intentionis: est enim sermo de medio quo caro disponitur ac præparatur & creditur idonea, vt assumatur à Verbo. Tale verò mediū est mediū nō intèntionis sed executionis: vt etiā aduertit Vasq. diff. 37. c. 7. Et nō loquitur S. D. de medio quod, sed de medio quo, vt ex dicendis patebit, & hic optimè post Caiet. probat expolitores. Tale verò medium inter creaturam & Deum non inuenitur secundum priorem ordinem, quo creaturæ causantur à Deo: non enim forma disponit & præparat materiam vt creationi sit idonea, sed ipsa materia ex sui natura, & secundum seipsam, & non minus quàm forma immediatè refertur ad Deum, vt primam causam creatam illam & conseruantem; cum sit ens per participationem, sicut & forma. Deinde quod præparatur ad aliquid ex actione agentis recipiendum, oportet vt prius natura saltem sit ens reale extra causas antè actionem illam, & eius effectum: implicat autem materiam esse ens reale extra causas ante actionem Dei creatis, & ante creationis effectum: quia proprius creationis effectus est esse in rerum natura extra causas; ergo non potest materia per formam, vt mediū præparari vt sit apta creationi. Et ex his patet vanam esse obiectionem Suarezij contra responsionem hanc D. Th. & solutionem seu magis excusationem nullius esse momenti.

Circareff. ad secundum Notanda est doctrina Cai. cuius sensum nō videtur Suar. attigisse: non Naz. in D. Tho. 3. partem

A enim comparat Cai. substantiam animæ cum substantia materiæ; quia secundum illum & veritatem materia nullam habet sibi propriam substantiam: sed ait, animam intellectiuam nō deferre secum substantiam illi propriam, vt quod subsistit, nisi in potentia: sed esse propriū substantiæ principium vt quo, & habere occasionaliter hæccitatem à corpore. Suarez autem ait, animam intellectiuam esse subsistens perfectius quàm corpus, quidquid (inquit) dicat Cai. hanc enim comparisonem neq; somniat Cai. Vide etiam ea, quæ scribit Aluar. circa eandem responsionem.

Postremo circa resp. ad tertium D. Th. lege quæ notat Cai. & post eum Suar. in Com. Et Vasq. diff. 37. c. 9. Vbi doctrinam Caiet. declarat: sed Corollarium ab eo deductum impugnat, nimirum carnem ipsam in se terminare assumptiuam actionem & non solum vt animata & humana, licet non attingeret eam, nisi esset animata: sic autem arguit: Si carnem accipiat non pro materia prima secundum se, sed quatenus habet aliud esse substantiale, sequitur eatenus solum vnitam mansisse, quatenus vivebat per animam rationalem: si verò accipiat carnem pro materia prima secundum se, aut prout habet aliquas dispositiones accidentarias non minus falsa est: quia materia prima vniri non potest Verbo peculiari vnione, neque ipsa secundum se à Verbo terminari, quādiu est in humanitate, sed vnica solum vnione & sustentatione totius humanitatis Verbo vniri & sustentari potest; ergo dictum Corollarium falsum est. Deinde caro Christi mortua non idè in triduo mansit vnita; quia retinuerit vnionem propriam, quam prius habuerit, sed alia ratione. Resp. carnem accipi pro materia prima, quatenus ordinem habet ad animam rationalem: Ad rationem aduersus hanc partem dico nullam esse consequentiam: quia aliud est materiam primam vniri Verbo secundum se, & non tantum ea ratione qua est vnita formæ & cum ea constituit humanitatem: & aliud est eam vniri materiæ vnione particulari distincta ab vnione humanitatis cum Verbo: illud enim verum est, hoc autem falsum; quia vna tantum est vnio ad partes secundum se, & ad totum secundum se terminata: & idè verum etiam est carnem Christi in triduo (sumendo carnem pro materia anime) idè mansisse vnita Verbo; quia retinuit vnionem illam Verbi cum humanitate secundum eam rationem, qua terminabatur ad ipsam materiam secundum se.

Vasquezij obiectio.

Solutio.

CONTROVERSIA VNICA.

Ve veritate & sensu secunda & tertia Conclusionis D. Thom. An scilicet & quomodo Filius Dei vnierit sibi carnem mediante anima.

Sententia Doctorum.

DVR. in 3. dist. 2. quæst. 2. negat vllum in assumptione humanitatis fuisse ordinem secundum naturam inter animam & carnem, & ait dicta Sanctorum Patrum esse intelligenda de ordine secundum rationem duobus modis considerandum, scilicet secundum partium dignitatem & secundum fructum assumptionis in eis participatum. Et quia maior est animæ dignitas quàm carnis, & maior fructus in anima quàm in carne; & maior in mente quàm in ceteris animæ potentijs participatur: idè Verbum dicitur carnem assumpsisse mediante

Bb

dian

Vasquezij obiectio diluitur.

dianthe anima & animam mediante mente.

Suar. *disp. 17.* Vbi Scoti, Cai. & aliorum plurimum Scholasticorum sententias haud fideliter refert, vnde cum dictis suam explicat opinionem. *Primum* est ordine intentionis unionem animæ ad corpus esse aliquo modo naturæ priorem unionem eiusdem ad verbum. *Secundum* est: ordine executionis prius naturæ animam esse unitam Verbo, quam corpori. *Tertium* est: ordine intentionis priorem esse unionem carnis ad animam quam ad Verbum. *Quartum* est: ordine executionis carnem esse prius unitam Verbo; quam animæ. *Quintum*, ordine intentionis animam prius naturæ assumptam esse, quam caro. *Sextum*, ordine executionis utramque partem dici posse prius assumptam, quam alia in suo genere causæ simpliciter tamen videri assumptionem corporis præcedere hoc ordine naturæ. *Septimum* est: animam non fuisse medium ad assumendum carnem tanquam vinculum uniens ipsam ad Verbum. *Octauum* est: Animam non fuisse tale medium ad assumendam carnem, ut ad illam solam sit unio immediate terminata, ad corpus verò solum mediatè, quatenus animæ unitum est: sed hoc sensu tam corpus quam anima immediate assumpta sunt. *Nonum* est: unionem Verbi ad animam non fuisse medium ad assumendam carnem tanquam viam ad illam; nec quia ex illa necessariò consecuta sit carnis assumptio. *Decimum*, corpus dici assumi mediante anima; quia corpus non fuit assumptibile, nisi ratione animæ & in ordine ad animam; non quia necesse sit, ut actualis unio ad animam ordine naturæ præcesserit: nec quia ipsa anima ordine executionis prius naturæ assumpta fuerit; sed idè quod caro assumpta sit propter habitudinem ad animam & ratione illius. *Vltimum* est: animam respectu carnis assumendæ fuisse medium ex congruentia absolute loquendo. Si verò sermo sit de Incarnatione ad nostram redemptionem ordinata, potest in ordine ad talem finem esse medium necessarium. Sed hic dicendi modus longè distat à sententia D. Tho. Caietani, Scoti, Medine, Vasquezij & aliorum veterum ac recentiorum Scholasticorum, præsertim verò Thomistarum inferius explicanda; ac pro viribus defendenda. Ad cuius euidentiam.

Resolutio
Propositis
septem distinctioni
bus explicatur
modi,
quibus anima potest
aut non potest
esse medium
ad unum in assum-
ptione.
Prima di-
stinctio.

Præmittenda sunt primò nonnullæ distinctiones & fundamenta, ut ex eis secundum veritatem & mentem D. Th. quæsito respondeamus, & argumenta quibus innititur opposita sententia diluamus. *Prima distinctio* est: Animam fuisse medium in assumptione carnis tripliciter existimari potest: *Primò*, ut fuerit medium ad modum vinculi inter Verbum & carnem, quod antiquiores Theologi vocant medium colligantiæ, ut Ricard. & Bonau. in 3. dist. 2. *Secundò*, ut sit mediū solius extrinsecæ denominationis: ita scilicet ut anima sola secundum se ac propriè dicatur assumi ad unitatem & subsistentiam Verbi personalem: caro autem siue corpus non dicatur assumi secundum se; sed ratione tantum animæ; sicut accidentia Christi dicuntur assumpta & unita Verbo, non immediate & secundum se; sed mediatè tantum & ratione assumptæ humanitatis cui inhaerent. *Tertiò*, ut anima sit medium secundum ordinem naturæ, tanquam causa & ratio assumendi corpus. *Secunda distinctio* est: animam esse medium hoc tertio modo contingit dupliciter: *Vno modo*, ut anima ita sit causa ut corpus assumatur, quod anima prius intelligatur assumi, sicut in generatione hominis prius secundum or-

Secunda.

A dinem naturæ generatur homo quam risibile; adeo ut risibile præsupponat hominem tanquam id quod prius est genitum: *Alio modo*, ut anima sit tantum causa siue ratio assumptionis corporis; quia scilicet est ratio quod corpus sit assumptibile; non tamen ipsa prius assumatur, & secundum priorem quidem mediandi modum diceretur anima medium, non solum ut quo sed etiam ut quod in assumptione passiva; secundum posteriorem verò modum diceretur medium tantum ut quo, sicut mulieris pulchritudo medium est ut quo assumendi eam in uxorem. *Tertia distinctio* est: dupliciter intelligi potest animam esse medium ad assumendum corpus: *Vno modo* secundum ordinem intentionis: quia scilicet ex voluta redemptione nostra, tanquam sine elegit Deus assumptionem animæ rationalis, quæ electione mediante decreuit carnem assumere medium enim secundum ordinem electionis est id, quod inter ea quæ per se ordinantur ad vñ finem, est ipsi fini propinquius: hoc enim est ratio & medium eligendi aliud minus eidem propinquum: sicut ad conferuandam domum eliguntur artifices, & media hac electione decernitur solutio mercedis ut habeantur artifices: *Alio modo* potest intelligi animam esse medium assumendi corporis secundum ordinem executionis; quia scilicet in actuali finis affectione anima rationalis informando corpus reddidit ipsum idoneum ut assumeretur à Verbo. *Quarta distinctio* est: medium assumptionis siue unionis corporis ad Verbum secundum utrumque ordinem duplex potest intelligi: *alterum necessitatis* siue quo scilicet non posset assumptio fieri, ut corporis temperamentum est medium omnino necessarium, ut anima corpori uniat & unita cum eo perseveret: *alterum est congruentiæ*: id scilicet siue quo fieri posset assumptio corporis: sed eo interueniente redditur corpus assumptioni magis idoneum. *Quinta distinctio* ex D. Thom. ad tertium Medium congruentiæ in assumptione & unionem carnis ad Verbum duplex potest intelligi: *alterum* in fieri & in facto esse; quia scilicet per illud caro redditur assumptioni & unioni idonea: & idè est ratio assumendæ carnis & rursus eo remoto tollitur unio: *Alterum* est medium tantum in fieri, quo scilicet caro apta redditur assumptioni & unioni; sed eo remoto non definit unio, sicut mulieris pulchritudo medium est congruentiæ ad copulam coniugalem; sed tamen amota pulchritudine perseverat copula coniugalis.

Sexta distinctio: Anima respectu carnis potest dici medium necessarium dupliciter: *Vno modo* absolute & ex natura rei: *Alio modo* ex suppositione finis quem sibi præstituit persona diuina carnem assumens.

Vltima distinctio est: Anima ut medium siue necessitatis siue congruentiæ ad assumendam carnem, dupliciter potest carni vel corpori comparari: *Vno modo* sumendo carnem propriè prout est caro viuens & humana, aut prout caro vel corpus dicit materiam distinctam contra animam, & contra omne esse ab anima receptum: & hoc modo caro idem est, quod materia prima. Hac, vel simili distinctione vtuntur Physici ad explicandam primam animæ definitionem, quæ dicitur anima esse actus corporis physici organici, &c.

Præterea notanda est ex Caietano differentia inter

in assumpti-
one non esse
medium vt
quod, sed
tantum vt
quo.

inter animam & carnem respectu assumptionis, quod inter actionem creaturam carnis & actionem assumptionis eiusdem ad unitatem Verbi personalem mediat actio siue causalitas animata carnis, qua scilicet à Deo creatur ac simul infunditur animae corpori, quae ipsi dat esse viuens & rationale formaliter: sic enim efficitur humana caro, quae sola congruentiam habet, vt assumatur à Verbo: at inter actionem animae creaturam & actionem assumptionis illius nulla mediat actio; sed hoc ipso, quod est anima rationalis, habet vt congruè possit assumi. Et quia praedictus ordo est ordo naturae secundum veram & realem causalitatem in re: idè rectè dicitur anima esse ratio & medium, quo caro siue corpus assumitur: quod tamen medium scilicet anima non est necesse vt sit, quod prius assumitur, quamuis necesse sit animam assumi prius; vt quo: nam vt hic aduertit Caiet. ex hoc quod anima est ratio, vt caro sit assumptibilis, non sequitur animam assumi prius vt quod, sed tantum vt quo. Et quia forma nullam habet actualiter & realiter causalitatem formalem respectu materiae, nisi per actualem informationem illam actuando, & esse specificum illi conferendo; idè caro nec fuit assumptibilis nec actu fuit assumpta, nisi postquam actuali animae informatione fuit animata, sicut nec anima prius fuit assumpta, quam esset actu forma corporis; quia non prius creatur, & postea infunditur corpori, sed creatur in corpore, nec prius intelligitur in se subsistens, quam corpus informet; cuius oppositum gratis affirmat Suar. Neque cum actu corpus informat, subsistit vt quod, nisi in potentia: sed tantum vt quo, quamquam in hoc differat à formis corruptibilibus, quod est semper independens à materia: propter quam independentiam potest appellari subsistens non solum in potentia sed quodammodo etiam in actu. Sed quia dum est in corpore, non per se separatim existit; cum sit compositi pars: idè propriè & absolute loquendo dici non potest, animam existentem in corpore esse subsistentem vt quod; sicut neque pes aut brachium dicitur absolute subsistens vt quod, quamuis dicatur subsistens id est non inherens vt accidens, vt ait S. D. 1. p. q. 75. a. 2. Hanc verò doctrinam de animae coniunctae subsistentia tradit expressè Caiet. *infra* art. 3. relicta priori sententia, quam tenuerat in 1. p. q. 76. art. 1. circa resp. ad 5. D. Th. & *quest. 90. a. 2.* Quamuis absque legitimo fundamento in dicto a. 3. dicat, animam nostram in corpore glorioso habituram esse subsistentiam vt quod, quam habuit in statu separationis, vt bene notat Ban. 1. p. q. 76. a. 1. *lib. 5. §. sed tunc insurgit gravis difficultas.* Vbi posteriore sequitur sententiam Caietani, & opposita diluit argumenta. Eandem etiam esse rationem de subsistentia animae nostrae in vtroque statu, quo vitatur corpori, scilicet corruptibili & glorioso, probat Suarez *disp. 17. sect. 1. §. ad confirmationem.* Vbi tamen sequitur priorem Caietani sententiam de animae nostrae subsistentia, dum est unita corpori; de qua plura dicemus articulo sequenti.

Conclusiones,
deductae,
probat.

PRIMA CONCL. Anima non fuit medium, quod vocant colligantia, siue ad modum vinculi ad vnendam carnem personae Verbi. Haec conclusio patet ex doctrina D. Tho. *supra* *quest. 2. a. 10. & infra* q. 6. a. 6. Vbi probat S. D. & expositores inter humanitatem & personam Verbi nullum posse intercedere medium, quo veluti dispositione, aut glutino humanitas vnatur hypostaticè Verbo

A diuino; in hac conueniunt S. Bonau. & Ricardus in 3. *dist. 2. Suar. disp. 17. sect. 4. Vasq. disp. 37. c. 7. & alij recentiores.*

SECUNDA CONCL. Anima non fuit medium assumenda carnis secundum solam extrinsecam denominationem: ita scilicet, vt anima sola secundum se, ac propriè dicatur assumi ad unitatem Verbi personalem: caro autem non dicatur assumi secundum se sed ratione tantum animae. Haec conclusio videtur omnino certa secundum fidem dicente scriptura Ioan. 1. Et Verbum caro factum est. Et ad Coloss. 2. In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Deinde ratione probatur: Quia diuini Verbi personalitas supplet propriam, & naturalem subsistentiam assumptae humanitatis: at naturalis subsistentia humanitatis in quolibet homine terminat immediate, non solum animam, sed etiam corpus. Et confirmatur; quoniam alias in triduo non fuisset Verbum secundum se & intrinsecè corpori unitum. Quod asserere est error intolerabilis in doctrina fidei.

TERTIA CONCL. Anima non ita fuit medium assumenda carnis, vt prius natura fuerit assumpta, quam caro, tanquam id quod assumitur, vel prius quàm corpori vniretur. Probatur primò: quia anima nostra non prius est subsistens, quam corpori vnatur, & vnita corpori non subsistit in actu vt quod, sed tantum in potentia; ergo anima Christi non prius subsistit subsistentia Verbi, quam corpori vnatur; nec vnita corpori prius vt quod vnatur Verbo, quam corpus. In hac conclusione conueniunt Caiet. Scotus & Vasq. *cap. 7. & 8. ab ea verò dissentiunt Val. puncto 2. in fine. Suar. sect. 1. & 3. & magis patebit ex probationibus sequentibus Conclusionis.*

QUARTA CONCL. Anima fuit medium vt quo assumenda carnis: atque idè prius natura vt quo fuit assumpta: Prima pars huius conclusionis coincidit cum tertia conclusione S. D. in textu: & probatur eodem argumento: quia scilicet caro non est assumptibilis, nisi per ordinem quem habet ad animam, &c. Secundo probatur; quia vnica tantum fuit assumptio animae & corporis in vna ex vtroque constituta humanitate; & anima per se est assumptibilis sine corpore: corpus autem non est assumptibile, nisi per animam; ergo anima fuit medium, vt quo assumenda carnis. Antecedens quo ad primam partem probatur; quia eadem assumptione assumitur totum & partes eius essentiales, prout in eo sunt ipsum constituentes. Iam autem diximus animam creati in corpore; igitur assumitur, vt pars humanitatis ipsam actu constitutis, & eadem ac multò potiori ratione corpus assumitur, vt actu pars est humanitatis; ergo eadem assumptione vtrumque assumitur scilicet anima & corpus, qua tota humanitas. Secunda verò pars antecedentis patet ex littera D. Th. Altera verò pars conclusionis sequitur ex precedenti: Si namque anima assumpta est vt causa & ratio assumenda carnis; ergo prius natura id est ordine causalitatis assumpta est vt quo, id est vt ratio assumendi carnem, quam ipsa caro: nulla tamen necessitas est, vt anima prius assumatur vt quod, quam ipsa caro: quoniam vt hic subtiliter aduertit Caiet. licet anima & caro fuerint assumptae à Verbo vt quod partiales; quia verò terminata est assumptio ad has duas partes secundum se; non tamè est ordo naturae inter eas; quatenus sunt quae assumuntur; quia anima non prius intelligitur assumpta, quam animet carnem: non animat autem carnem, nisi per actionem creaturam, qua creatur in corpore;

Bb 2 nec

nec caro prius assumitur, quā sit humana, quod non ei conuenit, nisi per actuale animæ informationem, per quam recipit esse specificum humanæ carnis; igitur inter has partes, quatenus sunt quæ assumuntur, nullus est aut esse potest ordo humanæ naturæ.

QUINTA CONCL. *Anima respectu corporis assumendi est medium tam secundum ordinem intentionis, quā secundum ordinem executionis.* Hæc conclusio, quo ad primam partem satis aperte colligitur ex D. Th. in hac quest. art. 5. in corpore: Vbi loquens de ordine secundum intentionem agentis inter totam naturam humanam, & eius partes in assumptione sic loquitur: *Manifestum autem est, quod secundum intentionem facientis prius est completum, quā incompletum, & per consequens totum, quā partes: & ideo dicendum est, quod Verbum Dei assumpsit partes humanæ naturæ mediante toto: sicut enim assumpsit corpus propter ordinem, quem habet ad animam rationalem, ita assumpsit corpus, & animam propter ordinem, quem habent ad humanam naturam.* Quibus verbis planè significat, animam rationalem esse medium assumenda carnis secundum ordinem intentionis; quemadmodum totum eodem ordine medium est in assumptione respectu partium. Et confirmatur, quia illud est prius secundum ordinem intentionis, quod est fini propinquius: talis autem est anima, quæ propinquior est Deo, cum in ea sit imago Dei, & sit capax gratiæ & gloriæ &c. Secunda verò pars patet ex præcedenti conclusione & eius probationibus. Et probatur: quia anima secundum ordinem executionis disponit carnem & habilem reddit, ut possit assumi: ipsa verò est assumptibilis, tam secundum se quā ut dispositio carnis ad assumptionem; ergo prius natura secundum ordinem executionis assumpta fuit, ut quo, siue ut ratio assumendi carnem: Antecedens patet; quia dispositio prior est natura secundum ordinem executionis forma seu termino ad quem disponit. Nec absurdum est, idem sub diuersa ratione esse prius altero natura secundum utrumque ordinem: sicut in propolito, anima rationalis ut fini propinquior, prior est in assumptione quā caro secundum ordinem intentionis, & eadem quatenus actum habet disponendi carnem, ut sit habilis assumptioni, prior est secundum ordinem executionis.

SEXTA CONCL. *Anima rationalis respectu assumenda carnis, ut est caro viuens & humana, fuit medium ex natura rei & absolute necessarium.* Probatur; quia impossibile est esse carnem humanā absque anima rationali.

SEPTIMA CONCL. *Anima rationalis respectu materie primæ assumenda non fuit medium simpliciter necessarium, sed tantum congruum: quamuis ex suppositione finis à Deo voluti fuerit necessarium.* Prima pars probatur; quia poterat Deus materiam illam sub alia quacumque forma substantiali sibi personaliter vnire. Secunda verò pars probatur; quoniam intentio Dei erat redimere genus humanum medio hominis merito ac satisfactione perfecta in carne. Cum itaque non possit esse humana caro absque anima rationali, necessarium fuit, ut ita genus humanum à Deo redimeretur, animam rationalem vniri materiæ, ut ea constitueretur humana caro, quæ Dei Filio personaliter vniretur, ut in ea patiendo pro peccatis humani generis Deo perfecte satisfaceret, & remissionem nobis & gloriam condignè mereretur.

OCTAVA CONCL. *Anima rationalis respectu*

carnis humana viuens ut sic, à Verbo assumpta, fuit medium necessarium non solum in fieri, sed etiam in facto esse. Probatur; quoniam implicat esse carnem humanam viuentem sine anima rationali; ergo.

NONA CONCL. *Ex suppositione finis ac intentionis à Deo modi redemptionis humani generis, anima rationalis fuit medium necessarium vnionis materie carnis, non solum in fieri, sed etiam in facto esse, quo ad totum tempus redemptionis, non autem in triduo mortis.* Prima pars patet ex dictis. Secunda verò pars probatur; quia tunc Verbum erat carni personaliter vnitum, quæ tamen non erat animata.

VLTIMA CONCL. *Simpliciter loquendo anima rationalis respectu materie carnis vnita non est medium in facto esse, nec secundum congruentiam, nec secundum necessitatem atem ex suppositione iam dicta; sed tantum inferi.* Hæc est D. Th. hic ad 3. & eam explicat Caiet. & patet ex dictis; quoniam in triduo Verbum erat vnitum carni personaliter: cū tamen non esset animata. Ex quo benè deducit Caiet. carnem ipsam secundum se terminasse assumptionem, & non solum quatenus animata aut humana, &c.

CONTRA tertiam concl. argum. *Suar. sect. 1. disp. 17. Primo;* quia si anima prius esset vnita corpori, prius esset composita tota humanitas, quā anima assumpta; ergo in subsequenti signo naturæ prius assumpta esset tota humanitas, quā anima. Probatur consequ. quia postquam intelligitur existens tota humanitas, nihil intelligitur prius assumi quā illa. *Resp. Solut.* primo nullam esse consequ. quia prius natura intelliguntur partes vnite, quā ex eis resultet tota natura. Ad probationem consequentia dico, falsum supponi, scilicet totam humanitatem nō esse posteriorem ordine naturæ partibus vnitis.

Secundo dico, antecedens verum esse de priori secundum ordinem intentionis; non autem secundum ordinem executionis, ut magis patebit *infra art. 5.* Vbi agitur de ordine inter totum & partes in assumptione.

Secundo arguit: Anima Christi prius natura fuit subsistens, quā vniretur corpori; ergo prius fuit assumpta ut quod assumitur. Antecedens probatur; quia anima Christi fuit eiusdem naturæ cum nostris quæ fiunt per creationem, & per se producuntur, & non tantum comproducentur cum tota natura; quia hoc est proprium materialis forme; ergo sunt subsistentes; quia creari proprium est subsistentium, ut ait S. D. 1. p. q. 45. a. 4. Consequ. verò probatur; quia alioquin anima Christi, antequam vniretur corpori, habuisset propriam subsistentiam; quia non fuisset impedita per subsistentiam Verbi, si tunc anima non fuisset assumpta. *Resp.* falsum esse antec. loquendo de subsistente ut quod in actu: Ad probationem dico, formas illas propriè comproduci cum tota natura, quæ per idem agens creatum proximum producuntur, à quo totum ipsum producitur; tales autem formæ educuntur ex potentia materie. Constat autem animam rationalem, neque à proximo illo agente produci, à quo generatur homo, neque educi de potentia materie, sed à Deo immediatè creari; non quidem omnino per se, id est separatim à corpore; sed in ipso corpore. Vnde illa propositio *creari proprium est subsistentium* intelligenda est indifferenter de subsistentibus in actu per se separatim, ut omnes substantiæ complete; & de subsistentibus per solam independētiā à materie; quamuis non actū subsistant ut quod,

quod, sed in potentia tantum, quales sunt animae rationales.

Obijc. 3. Tercio arguitur sect. 3. Materia simpliciter supponitur ordine naturae creationi animae & est fundamentum totius generationis: supponitur autem subsistens, & in eo instanti non potuit subsistere, nisi subsistentia Verbi; ergo supponitur etiam assumpta ad sic subsistendum. Et confirmatur;

Conf. 1. quia in quacumque generatione humana supponitur materia existens & subsistens; ergo.

Conf. 2. Denique confirmatur; quia optime quadrat, ut ordo executionis sit contrarius ordini intentionis; quia licet perfectiora sint magis intentata: tamen executio à minus perfectis, ut à fundamentis inchoari solet, & ad hoc explicandum (inquit) conferre potest exemplum de aedificante domo; in qua fundamentum alijs partibus supponitur; & ideo cum successiue fit domus, prius tempore iacitur fundamentum; ac proinde etiam si quis haberet vim aedificandi domum in instanti, intelligeretur tamen ordine naturae prius esse iactum fundamentum; ergo similiter in hac assumptione intelligimus prius naturae esse assumptum id, quod est tanquam fundamentum ceterorum.

Solut. Resp. falsum esse supponi ordine naturae materiam subsistentem & existentem: non enim subsistit neque existit materia nisi per formam constitutem totum, cui primò conuenit subsistere & existere: & ideo anima rationalis prius natura subsistit & existit ut quo, quam materialiter per eam informata. Vnde ad primam confirm. negatur antecedens. Ad secundam confirmationem dico, principium illud: ordo executionis est contrarius ordini intentionis verum esse tantum in ijs ordinatis, quae mutua habent dependentiam: si verò aliqua duo ita se habeant, ut vnum omnino secundum actionem illam, in qua duplex ille ordo consideratur, ab altero dependeat: alterum autem nullo modo secundum actionem illam sit ab eo dependens, tunc idem in utroque ordine poterit esse prius altero. Exempli causa: prius secundum ordinem intentionis est infusio gratiae, quam motus liberi arbitrii in detestationem peccati & in Deum; quoniam hic motus est dispositio proxima ad gratiam à Deo obtinendam; & tamen prius etiam ordine executionis est infusio gratiae, quam dictus motus liberi arbitrii; quoniam hic motus fit virtute gratiae tunc à Deo infusa, ut i. p. q. 62. a. 3. declarauimus ex D. Th. & Cal. i. 2. q. 113. a. 8. sic in proposito in assumptione passiue sumpta inuenitur causalitas animae rationalis respectu carnis, tam secundum genus causae finalis, quam secundum genus causae formalis: habet enim anima rationalis in assumptione rationem finis respectu carnis; quia anima nobilior est & finis proximior est; qui est persona assumens & gratia redemptionis. Et rursus habet rationem causae formalis disponentis & habilem reddentis carnem, ut apta sit assumptioni: at verò carni respectu animae rationalis nulla videtur in assumptione causalitas conuenire: non enim caro finis est animae assumenda, ita ut anima assumatur propter carnem à peccato redimendam, & Verbo Dei personaliter viuendam; neque dispositiua est ad animam assumendam; quia anima rationalis secundum se est assumptibilis, etiam si non esset vnita materiae. Vtraque verò pars, scilicet anima & caro, respectu totius, id est humanae naturae ex eis compositae causalitatem habet, quasi materialem seu dispositiuam; quia humanitas necesse nec assumi potest, nisi prius ex partibus suis vnitis, quae sunt anima & corpus fuerit constituta: & ideo secundum

ordinem executionis prius assumi potuerunt partes, ut Caiet. ait *infra art. 5.* signum afferens ex morte Christi, in qua assumptio quasi cepit resolui quia humanitas desijt esse, & consequenter desijt ab assumptione: anima verò & corpus prius habitam assumptionem retinuerunt; cum igitur vltimum in resolutione sit primum in compositione, manifestum est assumptionem secundum ordinem executionis à partibus inchoasse. Ad exemplum igitur domus in instanti fabricatae, dico illud procedere, quo ad partes toti comparatas; quoniam, ut modo diximus, respectu eius semper habent causalitatem; non autem vna pars respectu alterius habet causalitatem secundum actionem ad ipsas partes, & ad tot ordinatam, sicut in proposito caro nullam habet causalitatem respectu animae rationalis secundum assumptionem, ut ostendimus.

CONTRA quartam concl. sunt argum. pro sententia Dur. quae referunt, & soluunt Caiet. & Med. super hoc a. Val. puncto 2. & Vasq. in allegat. disp. 37. c. 10.

CONTRA quintam concl. argum. Vasq. cap. obi. contr. 5. & num. 52. Quia quamuis in intentione prius sit

medium propinquius fini quam remotum; & ita in hoc ordine prius esset anima quam caro, tamen in executione & assumptione non posset anima esse medium assumendi carnem; sicut dici non potest per medium propinquius fini medium remotum applicari; ergo. Antecedens manifestatur: Quia licet (exempli gratia) in consultatione Medici prius sit scissio venae & sanguinis missio ad sanitatem sicut ad finem, quam vocare Chirurgum qui scissurus est venam, tamen in executione dici non potest media scissione venae fuisse vocatum Chirurgum; sed medio Chirurgo accersito fuisse scissam venam: quamuis recte dicatur media electione missionis sanguinis eligi Medicus vocare Chirurgum; ergo similiter in proposito: licet diceretur Deus in consultatione & electione media anima decreuisse assumere carnem; tamen re ipsa non diceretur media anima illam assumptisse, sed potius contra media carnis animam. Et confirmatur; quia anima & caro non sunt diuersa media; sed anima dicitur

fuisse medium per modum formae informantis & reddentis idoneam materiam, ut assumere

Medium fini propinquius habere rationem finis respectu medij minus propinqui: finis autem tunc actu finalizat exercendo suam causalitatem finalem, quando ex eius volitione & intentione, non solum eliguntur media ad finis asslectionem accommodata; sed etiam & multò magis quando actu per media tenditur in finem; atque ideo quod habet & exercet rationem finis respectu alterius in eligendo & operando, dici

potest medium in eligendo & in operando respectu eius; quamuis ex usu loquentium magis proprie dici videatur medium quo ad electionem, quam quo ad actualem operationem; quoniam in electione medij propter finem aut propter aliud medium fini proximius apparet manifestè causalitas finalis, quam etiam exprimit loquendi modus, cum dicitur media electione sectionis venae eligitur vocatio Chirurgi: in actuali verò operatione tendente ad finis asslectionem; licet id quod habet rationem finis actu finalizet exercendo suam causalitatem finalem; non tamen ex modo loquendi significatur expressè & principaliter actus ille finalizandi, sed actio efficientis aut causalitas disponentis ad finis asslectionem: & ideo non ita receptum est ex usu loquentium, ut dicamus media

fectione venæ fuisse vocatum aut vocari Chirur-
gum, sed vt dicamus medio Chirurgo vocato
fuisse scissam venam: in assumptione verò hu-
manitatis ex vfu Theologorum receptum est vt
congruè dicamus, carnem assumptam fuisse me-
diante anima prius in assumptione intenta, &
partes mediante toto prius intento; quia cum
hæc assumptio sit vnica actio, & non nisi in in-
stanti congruè fiat, atque ideo non possint ibi
distingui plures actiones, quarum vna sit pro-
pter aliam, tota ratio ordinis & causalitatis, at-
tenditur penes ea quæ assumuntur, in quibus quo
ad assumptionem adinuicem comparatis magis
elucet causalitas finalis quam effectiua, quæ nulla
est aut dispositiua, quam solum habent partes
respectu totius: & ideo magis congruè dicitur,
carnem assumptam fuisse mediante anima, &
partes mediante toto, quam è conuerso. Præ-
terea dici posset, animam vtramque habere causali-
tatem, & rationem medijs respectu carnis: ipsi
verò carni respectu animæ neutrum horum con-
uenire, vt antè diximus: & ideo secundum vtrā-
que causalitatem, & secundum vtrumque ordi-
nem scilicet intentionis & executionis rectè dici
carnem assumptam fuisse à Filio Dei immedian-
te anima.

ARTICVLVS II.

Vtrum Dei filius assumpserit animam mediante
spiritu, siue mente.

Locus supra
a. 1. citatis.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod Filius
Dei non assumpserit animam mediante spiritu.
Idem enim non cadit medium inter seipsum, & aliquid
aliud. Sed spiritus, siue mens non est aliud in essentia
ab ipsa anima: vt in prima parte habitum est. Ergo
Filius Dei non assumpserit animam mediante spiritu, siue
mente.

1. 4. art. 1.

Præterea, Illud, quo mediante facta est assumptio,
videtur esse magis assumptibile. Sed spiritus, siue mens
non est magis assumptibilis, quam anima: quod patet
ex hoc, quod spiritus Angelici non sunt assumptibiles: vt
supra dictum est. Ergo videtur, quod Filius Dei non as-
sumpserit animam mediante spiritu.

Præterea, Posterius assumitur à primo mediāte pri-
ori. Sed anima nominat ipsam essentia, quæ est prior
naturaliter, quā ipsa potentia eius: quæ est mens. Er-
go videtur, quod Filius Dei non assumpserit animā me-
diante spiritu, siue mente.

Sed contra est, quod Ang. dicit in libro de Agone
Christiano Cap. 18. 19. & 20. & 21. tom. 3. Inuisibilis,
& incommutabilis veritas, per spiritum animam, &
per animam corpus accepit.

Art. præc.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est, Filius
Dei dicitur assumpsisse carnem anima mediante tum
propter ordinem dignitatis, tum etiam propter congrui-
tatem assumptionis. Vtrumque autem horum inueni-
tur, si comparamus intellectum, qui spiritus dicitur, ad
ceteras anima partes: non enim anima est assumptibi-
lis secundū congruitatem, nisi per hoc, quod est capax
Dei ad imaginem eius existens: quod est secundū men-
tē, quæ spiritus dicitur: secundum illud Ephes. 4. Renouamini spiritu mentis vestre. Similiter etiam intelle-
ctus inter ceteras partes animæ, est superior, & dignior,
& Deo similior. Et ideo, vt Damasc. dicit in 3. lib.
vniū est carni per medium intellectum, Verbum Dei,
intellectus enim est, quod est anima purissimum, sed &
Deus est intellectus.

Cap. 6.

Ad primum ergo dicendum, quod etsi intellectus
non sit aliud ab anima secundum essentiam: distin-
gitur tamen ab alijs partibus animæ secundum ratio-

nem potentia. Et secundum hoc competit sibi ratio me-
dy.

Ad secundum dicendum, quod spiritui angelico non
deest congruitas ad assumptionem propter defectum
dignitatis, sed propter irreparabilitatem casus. Quod D. 151. q.
non potest dici de spiritu humano: vt patet ex his, quæ 64. art. 2.
in prima parte dicta sunt.

Ad tertium dicendum, quod anima inter quam &
Dei verbum ponitur medium intellectus, non accipitur
pro essentia animæ, quæ est omnibus potentijs commu-
nis: sed pro potentijs inferioribus, quæ sunt omni ani-
mæ communes.

Sensus quesiti.

TERMINOS in titulo positos explicat S. D.
in c. & in responsionibus ad argumenta, & deo-
rum sensu disputabitur in sequenti Contro-
uersia: interim vide Caiet. & Suar. in Com. & D.
Tho. in 3. dist. 2. quæst. 2. art. 1. quæst. 2. Vbi de-
clarat nomen spiritus.

Forma Textus.

CONCL. est: Filius Dei assumpsit animam me-
diante spiritu siue mente. Probatur primo: Quia
Filius Dei assumpsit ceteras animæ partes medi-
ante intellectu siue spiritu, tam secundum ordi-
nem congruitatis, quam secundum ordinem di-
gnitatis; ergo assumpsit animam mediante spiri-
tu, siue mente. Antecedens quo ad primam par-
tem probatur; quia anima non est assumptibilis
secundum congruitatem, nisi per hoc, quod est
capax Dei ad imaginem eius existens; ergo Fili-
us Dei assumpsit ceteras animæ partes mediante
spiritu siue mente. Antecedens patet: Consequen-
tia verò probatur: Quia anima est ad imaginem
Dei secundum mentem, quæ spiritus dicitur,
iuxta illud Ephes. 4. Renouamini spiritu mentis ve-
stre: Quo ad secundam verò partem probatur:
Quia intellectus inter ceteras animæ partes est
superior & dignior; ergo: Consequentia verò
principalis entimematis probatur; quia Filius
Dei dicitur assumpsisse carnem anima mediante,
tum propter ordinem dignitatis, tum etiā pro-
pter congruitatem assumptionis; ergo similiter
&c. Secundo probatur conclusio autoritate Da-
masцени, vt patet in textu.

CONTROVERSIA VNICA.

Quo sensu verum sit Filium Dei assumpsisse animam
mediante spiritu siue mente?

QUATVOR sunt expositorum de proposito
dubitatione sententiæ. Prima est Suarezij
in Commentariis: vbi exponens sensum quesiti a-
it se existimare, quæstionem hic propriè moue-
ri de ipsa substantia animæ rationalis, quæ vt cō-
fert gradum sentiendi vocatur anima, vt autem
confert gradum rationalem vocatur mens seu
spiritus, in quo etiam sensu exponit conclusio-
nem quesito respondentem.

Secunda sententia est Val. puncto 3. dicentis hic
nomine animæ D. Th. intelligere potentias in-
feriores: nomine autem spiritus intellectum &
voluntatem: quam sententiam sequitur Porrecta
& Aluar. super hoc 4. tribuens eandem expositio-
nem Caiet.

Tertia sententia est Vasq. disp. 38. c. 2. qui ait SS.
Patres, cum dicunt Deum assumpsisse ani-
mam medio spiritu siue mente, nomine ani-
mæ intellexisse substantiam animæ secundum
omnes

omnes gradus, scilicet vegetatiuum, sensitium & rationale: nomine verò spiritus facultatem intellectus, & voluntatis, & eorum operationes, quibus facultatibus & operationibus (inquit) anima reddita est idonea, vt congruè assumere-
tur: per operationem autem declarat se intelligere non dilectionem Dei super omnia qua iustificatur anima, sed quamlibet aliam operationem, non quatenus erat meritoria sed quatenus secundum suam naturam considerata præcedere poterat & idoneam reddere naturam ad assumptionem; nam hoc ipso quod erat operatio libera, poterat per vñionem hypostaticam eleuari ad finem redemptionis, vt esset idonea per modum meriti. Tandem addit fortasse totam præparationem & aptitudinem naturæ humanæ vt assumatur, reduci ad facultatem ipsam intellectus per quam sufficienter idonea intelligitur, vt assumatur: se autem vocem spiritus siue mentis ad operationem extendisse propter Epiphaniū, qui de ipsa operatione videtur loqui.

Vltima sententia est Cai. quam sequitur & explicat latè Med. dicens, conclusionem D. Th. intelligi posse in duplici sensu. Primus est vt anima vna & eadem secundum substantiam, qua ratione est rationalis anima & spiritus & mens sit medium respectu sui ipsius secundum essentiam, vt assumatur à Verbo secundum inferiores rationes animæ vegetatiuæ & sensitiuæ. Secundus sensus est vt potentia spirituales animæ scilicet intellectus & voluntas, quæ sunt accidentia propria ipsius animæ, sint medium vt reliquæ potentia inferiores sensitiuæ & vegetatiuæ eiusdem animæ vñiantur Verbo; & vtrumque sensum esse verum, sed primum esse profundiorē & à priori inferre posteriore; atque esse magis intentum à D. Th. & Aug. loc. not. in argum. sed contra. Hanc autem esse mentem Caiet. patet ex illis verbis: Et scito, si considerentur hæc duo partes, non secundum quod vñiuntur in vna substantia animæ (quia sensitium est in intellectu, vt trigonum in tetragono, vt dicitur in 2. de anima) sed abstrahendo ab illo, vel alio modo coniunctionis. Ex quibus perspicue patet secundum Cai. hic sermonem esse de anima, prout dicit partem id est gradum sensitium cum suis potentijs: & de spiritu siue mente, prout dicit gradum intellectum siue rationalem cum suis potentijs scilicet intellectu & voluntate, abstrahendo ab eo modo coniunctionis quem habent in vna essentia animæ & ab omni alio: Et quoniam hic dicendi modus videtur attingere mentem S. Tho. & SS. Patrum idè breuiter illud ac distinctè proponemus, & obiecta quæ aduersus eum afferunt aliarum opinionum defensores, diluamus.

SCIENDUM est primò animam, in communi loquendo, id est, secundum totam eius latitudinem ad omnes animarum species extensam, tres habere modos, scilicet vegetatiuum, sensitium & intellectum: quorum duo primi in hoc vltimo continentur, sicut continetur trigonum in tetragono, & tetragonum in pentagono: Differunt autem illi duo gradus ab hoc vltimo, quod secundum illos formaliter & præcisè sumptos anima per se conuenit, vt sit actus corporis physici organici potentia vitam habentis: adeo vt anima solum primum aut simul etiam secundum absque tertio gradum habens existere sine tali corpore per eam informato secundum rerum ordinem à Deo constitutum minimè possit: secundum gradum autem intellectum vt intellectus est, non conuenit anima per se, vt sit forma corporis; alioquin omnis substantia gradum ha-

bens intellectum esset forma corporis; atque ita nullæ essent substantiæ spirituales & intellectuales à corporibus separatæ, quod esse falsum patet ex 1. p. q. 50. igitur animæ prima definitio, quam assignat Aristoteles in 2. de anima conuenit quidem per se omni animæ etiam intellectiuæ; sed primis duabus scilicet vegetatiuæ & sensitiuæ conuenit per se ex proprijs earum gradibus formaliter & præcisè sumptis: anima verò intellectiuæ per se quidem conuenit, non tamen ex proprio gradu formaliter & præcisè sumpto; sed ex dictis duobus gradibus in ea contentis; & quoniam ex gradu suo intellectu sibi vendicat vt à corpore sit independens ac per se subsistens modo superius explicato: idè licet ex gradibus inferioribus in ea contentis & ex sui imperfectione, quia substantia completa non est, naturalem habeat inclinationem, vt sit forma corporis, non tamen actu necessariò semper informat, sed corrupto corpore remanet in se ipsa subsistens.

Cum itaque S. D. & Patres Ecclesiæ comparant animam spiritui & menti dicentes, Filium Dei assumpsisse animam mediante spiritu siue mente, nomine animæ significant animam intellectiuam; prout anima est id est sub ea ratione qua habet per se, vt sit actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis. hoc autem illi conuenit secundum duos iam dictos gradus in ea contentos: nomine verò spiritus & mentis eandem animam intelligunt secundum gradum eius intellectum formaliter & præcisè sumptum, id est quatenus intellectius est & prout ab alijs distinguitur in eo contentis. Et quia sermo est de medio congruentiæ & in ordine ad redemptionem per satisfactionem & meritum: idè nomine animæ secundariò & consequenter intelliguntur etiam potentia vegetatiuæ & sensitiuæ, & nomine spiritus ac mentis intellectus etiam & voluntas. Nam sicut anima rationalis ex gradu suo intellectu congruitatem habet vt assumatur, vt eam tribuit inferioribus gradibus sibi coniunctis; ita ex facultate intelligendi & volendi congrua est assumptioni, & ex ijs deriuatur congruitas ad alias inferiores eius potentias, vt scilicet assumatur eo modo, quo potentijs ac alijs proprijs accidentibus conuenit assumi; quatenus scilicet eorum subiectum cui insunt & à quo deriuantur, assumitur. Ad quorum amplorem euidentiam.

Secundo notandum est, animam dupliciter dici totum potentiale: Nam primò quælibet anima totum potentiale est respectu suarum facultatum; vt anima vegetatiua respectu potentia nutritiua, augmentatiua & generatiua, & sensitua respectu potentiarum omnium sentiendi & appetendi, & intellectua respectu intellectus & voluntatis. Secundò anima nobilior puta intellectiua dicitur esse totum quoddam potentiale respectu animarum seu graduum inferiorum, qui in ea continentur sicut trigonum in tetragono.

Tertiò obseruandum est ex Caiet. prædictos gradus seu partes potentiales animæ intellectiuæ, quatenus est totum potentiale primo & etiam secundum modo sumptum, dupliciter posse considerari: Vno modo prout vñiuntur in vna substantia animæ modo dicto: alio modo abstrahendo ab hoc & ab illo modo coniunctionis; & considerando partes vt formaliter diuersas, & tamen vt in homine coniunctas, non curando de modo quod sunt coniunctæ. Si primo modo considerentur, certum est inter gradus præcisè sumptos non posse esse ordinem ex natura rei; sed tantum secundum

*Resolutio
SS. Patres
& D. Tho.
asserentes
Filium Dei
assumpsisse
animam me-
diante spiritui
siue mente
nomine spiritus
intelligere
gradum in-
tellectum
simul cum
intellectu et
voluntate;
nomine ve-
rò animæ
intelligere
gradus in-
feriores cū
eorum po-
tentijs.*

rationem: si tamen singuli gradus sumantur cum suis potentijs eos consequentibus, certum est secundum D. Tho. & eius discipulos esse inter eos ordinem ex natura rei; quia singulorum graduum potentia realiter sunt distincta, & quaedam scilicet rationales sunt verè causæ, siue rationes ac medium ad assumendas alias; & eadem ratione gradus intellectus simul acceptus cum intellectu & voluntate, verè causa est & medium ad assumendos gradus, vegetatiuum & sensitivum cum eorum potentijs; quia licet gradus intellectivus secundum se non distinguatur à vegetatiuo & sensitivo secundum se sumptis; distinguitur tamen ab illis, si sumatur hic & illi cum annexis suis facultatibus: Si verò secundo modo considerentur prædicti gradus, & ita cæteris compararetur gradus intellectivus, idem iudicium proferendum est de hac propositione: Filius Dei assumpsit animam mediante spiritu, quod de illa: Filius Dei assumpsit carnem mediante anima, ut ait S. D. in textu: Sicut enim inter animam & corpus est ordo dignitatis & causalitatis respectu assumptionis: ita ut anima perficiendo corpus sit ei ratio, ut à persona divina sit assumptibile, ita gradus intellectivus quem spiritum siue mentem nuncupamus, sua coniunctione cum cæteris inferioribus gradibus eos perficiens sit eis ratio, ut à Verbo sint assumptibiles. Differentia tamen est inter causalitatem animæ respectu corporis & causalitatem spiritus respectu animæ siue causalitatem intellectui gradus respectu cæterorum, quod anima pars est essentialis compositi, & corporis forma illud in specie constituens: gradus autem intellectivus non est pars essentialis animæ rationalis cæteros in se gradus continentis; nec est eorum forma sed pars potentialis superioris ordinis omnium partium potentialium formalissima; ac proinde modum quandam habens respectu earum causæ formalis. Quamobrem ut hic scitè Cai. aduertit, causalitas non est hic vniocè sed proportionabiliter requirenda.

Conclusio.

Ex dictis sequitur hæc VNICA CONCLUSIO: Cum affirmant S. D. & Patres Filium Dei assumpsisse animam mediante spiritu siue mente, non comparant solum gradum intellectivum cæteris eiusdem animæ gradibus, neque solum intelligendi facultatem cæteris animæ viribus; neque potentias intellectivæ partis inferioribus animæ gradibus, aut substantia animæ, sed gradum intellectivum simul sumptum cum intellectu & voluntate comparant cum alijs gradibus simul acceptis cum eorum potentijs: Hæc conclusio patet ex dictis: & probatur quoad primam partem; quia gradus illi præcisè sumpti nullam habent inter se causalitatem aut ordinem realem: quoad secundam verò quoniam assumi per se & immediate non convenit potentijs quæ sunt accidentia; ergo vna potentia secundum se non est medium, ut assumantur alia; quo ad tertiam verò; quia sic omnia consonant & optimè saluatur ordo dignitatis, & realis causalitas vnius in alterum.

Obiectio 1.

CONTRA primam partem conclusionis argum. Suat. Primò, Quia Apollinaris, contra quem movetur hæc quaestio, negavit Christum assumpsisse mentem id est gradum intellectivum. Secundò: Quia licet interdum hoc nomen mens potentiam vel etiam actionem ipsam intelligentis significet, ut Epiphanius notavit hæresi 77. & Cyrillus lib. 10. in 10. ann. cap. 1. tamen etiam sumi solet pro ipsa anima, ut patet apud Augustinum lib. de spiritu, & anima, cap. 9. & 10. & lib. 9. de Trin. c. 4. ergo de gradibus intelligenda est illa comparatio.

Respon. Apollinarem utrumque in anima Christi negasse, scilicet gradum intellectivum & potentias ad illum consequentes: non enim placet, quod ait Vasq. nimirum dictum hæreticum solum intelligendi facultatem negasse: oppositum enim satis aperte significant verba S. D. & Patrum dictam hæresim impugnantium. Ad secundum negatur conseq. quia nomine mentis aptius utrumque significatur in re præsentī, scilicet gradus & eius potentia.

CONTRA secundam partem eiusdem conclusionis argumentatur Aluar. Quia S. D. ad 3. ait animam (inter quam & Dei Verbum ponitur medium intellectus) non accipi pro essentia animæ, quæ est omnibus potētīs communis; sed pro potētīs inferioribus, quæ sunt omni animæ communes; ergo. Resp. Med. illa, quæ est omnibus sol. potētīs communis, &c. mentem D. Thom. declarare: ita ut sit sensus: Non accipitur prout est principium omnium potentialiarum, quæ sunt animæ rationali propriæ; sed pro anima essentia, ut est principium omnium potentialiarum, quæ sunt communes animæ sensitivæ & vegetativæ. CONTRA eandem partem sunt argum. quæ proponit & solvit Med.

CONTRA tertiam partem argum. Vasq. Primò, quia Apollinaris cum dicebat assumptam fuisse animam sine mente, existimabat assumptam fuisse animam humanam; ac proinde cum gradu illo rationali: solum autem negabat in in Christo facultatem intellectus; ergo Patres in hoc eodem sensu dixerunt animam assumptam fuisse media mente, hoc est media facultate intellectus. Secundò: Cum Apollinare non fuit controversia de potētīs sentientibus, an fuerint assumptæ media anima; ergo per animam non intellexerunt has potētias, sed substantiam animæ, quam dicunt assumptam fuisse media mente contra Apollinarem. Resp. ad primum, negatur antec. nam ut patet ex q. præcedenti a vlt. ratione 3. Apollinaris negabat in Christo fuisse animam rationalem: & ideo D. August. in lib. 83. Quest. qu. 80. dixit, quod secundum hunc errorem sequeretur Filium Dei belluam quandam cum figura humani corporis suscepisse. Et S. D. in 4. contr. agent. cap. 33. manifestè docet, Apollinarem negasse in Christo animam rationalem dantem speciem homini distinctam à cæteris animalium speciebus. Ad secundum negatur antecedens; nam licet quaestio principaliter fuerit de animæ substantia, quam Apollinaris assererat in Christo fuisse sine ratione; quia tamen ad animam secundum Apollinarem sequebantur potentia vegetativæ & sensitivæ: ideo consequenter & secundario quaestio etiam erat cum Apollinare de potētīs animæ vegetativis & sensitivis; an scilicet per se & immediate, an autem medio spiritu siue mente fuerint assumptæ.

CONTRA ultimam partem eiusdem concl. produci possent eadem argumenta, quæ circa cæteras partes notata sunt, quorum solutio patet ex dictis.

ARTICVLVS III.

Utrum anima à Dei filio prius fuerit assumpta, quam caro.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod anima Christi fuerit prius assumpta à Verbo, quam caro. Filius enim Dei assumpsit carnem mediante anima: ut dictum est. Sed prius pervenitur ad medium, quam ad extrinsecum. Ergo Filius Dei assumpsit prius animam, quam corpus.

Pro-

Præterea, Anima Christi est dignior angelis, secundum illud Psalm. Adorate eum omnes Angeli eius. Sed Angeli creati sunt à principio: ut in primo habitum est. Ergo & anima Christi, quæ non fuit ante creatam, quàm assumpta: dicit enim Damasc. in 3. libr. quod nunquam neq; anima, neque corpus Christi propriam habuerunt hypostasin, præter Verbi hypostasin. Ergo videtur, quod anima fuerit ante assumpta, quàm caro, quæ est concepta in utero Virginis.

Præterea, Ioan. 1. dicitur. Vidimus eum plenum gratia, & veritatis: & postea subditur, quod de plenitudine eius nos omnes accepimus, id est, omnes fideles quocunque tempore: ut Chrysostomus exponit. Hoc autem non esset nisi anima Christi habuisset plenitudinem gratia, & veritatis ante omnes sanctos, qui fuerunt ab origine mundi: quia causa non est posterior causato. Cum igitur plenitudo gratia, & veritatis fuerit in anima Christi ex unione ad Verbum, secundum illud, quod ibidem dicitur, Vidimus gloriam eius quasi vngenti à Patre, plenum gratia, & veritatis: consequens videtur, quod à principio mundi anima Christi fuerit à Verbo Dei assumpta.

Sed contra est, quod Damasc. dicit in 4. libr. Non ut quidam mentiuntur, ante eam, quæ est ex Virgine Incarnationem, intellectus est vnus Deo verbo, & ex tunc vocatus est Christus.

Respondendo dicendum, quod Origenes posuit in suo Peri Archon. lib. 1. cap. 7. & 8. tom. 4. omnes animas à principio fuisse creatas, inter quas etiam posuit animam Christi creatam. Sed hoc quidem est inconueniens, si ponatur quod fuerit tunc creatam, sed non statim Verbo vnita: quia sequeretur, quod anima illa aliquando habuisset propriam subsistentiam sine Verbo: & sic cum fuisset à Verbo assumpta, vel non esset facta vnio secundum subsistentiam, vel corrupta fuisset subsistentia anime præexistens. Similiter etiam est inconueniens, si ponatur, quod anima illa fuerit à principio Verbo vnita, & postmodum in utero Virginis incarnata: quia sic eius anima videretur non esse eiusdem naturæ cum nostris: quæ simul creantur, dum corporibus infunduntur. Vnde Leo Papa dicit in Epistola ad Iulianum, quod non alterius naturæ erat caro eius, quàm nostra: nec alia illi, quàm cæteris hominibus, anima est à principio inspirata.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut supra dictum est, anima Christi dicitur esse medium in vnione carnis ad Verbum secundum ordinem naturæ: non autem oportet ex hoc, quod fuerit medium ex ordine temporis.

Ad secundum dicendum, quod sicut Leo Papa in eadem Epistola dicit, anima Christi excellit nostras animas non diuersitate generis, sed sublimitate virtutis: est enim eiusdem generis cum nostris animabus, sed excellit etiam Angelos secundum plenitudinem gratia, & veritatis. Modus autem creationis respondet anime secundum proprietatem sui generis: ex quo habet, cum sit corporis forma, ut creetur simul, dum corpori vnitur. Quod non competit Angelis, qui sunt substantia omnino à corporibus absolute.

Ad tertium dicendum, quod de plenitudine Christi omnes homines accipiunt secundum fidem, quàm habent in ipsum. dicitur enim Rom. 3. quod iustitia Dei est per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in ipsum. Sicut autem nos in ipsum credimus ut in iam natum: ita antiqui crediderunt in ipsum ut in nasciturum: habentes enim eundem spiritum fidei credimus: ut dicitur 2. ad Corint. 4. Habet autem fides, quæ est in Christum virtutem iustificandi ex proposito gratia Dei: secundum illud Roman. 4. Eique non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam secundum propositum gratia Dei. Vnde, quia hoc propositum est æternum, nihil prohibet per fidem Iesu Christi aliquos

A iustificari, etiam antequam eius anima esset plena gratia & veritate.

Loc. sup. ar. 3. cit.

Sensus quæstii.

DE PRIORITATE temporis sermo est, ut apparet ex discursu S. D. in c. & ex argumentis, & eorum responcionibus, prout etiam notant Cai. & Suar. in Com.

Forma Textus.

REFERTUR primò error Origenis: deinde confutatur vnico argumento ducente ad inconueniens & simul probatur Catholica VERITAS, scilicet animam à Dei filio non prius tempore fuisse assumptam, quàm caro.

Error Origenis fuit, omnes animas à principio fuisse creatas, & inter eas etiã animam Christi. Confutatur hic error hoc argumento: Si anima Christi fuit à principio creata, vel non statim ut fuit creata fuit à Verbo assumpta, vel fuit à principio Verbo vnita & postmodum in utero Virginis incarnata: sed neutrum dici potest; ergo. Minor quoad primam partem probatur; quia si non fuit statim vnita Verbo sed post moram temporis, vel non esset facta vnio secundum subsistentiam, vel corrupta fuisset subsistentia anime præexistens: at vtrumque falsum est; ergo. Probatur assumpta conditionalis; quia tunc anima pro illo tempore habuisset propriam subsistentiam sine Verbo; ergo, si non fuit statim vnita &c. Secunda verò pars minoris principalis argumenti probatur: quia sic anima Christi videretur esse non eiusdem naturæ cum nostris; sed hoc est falsum; ergo. Probatur assumpta conditionalis; quia anima nostræ simul creantur, dum corporibus infunduntur. Minor verò, seu falsitas consequentis probatur autoritate Leonis Pape, ut patet in textu.

Expositio Textus.

ERROREM Origenis & eius confutationes ex Concilijs, & Patribus & Scripturis referunt Medina in expositione textus. Porrecta in appendice. Suarez disput. 16. sect. 2. & Valentia puncto 1.

Quorum duæ censuræ contra D. Th. sunt hic breuiter diluendæ: ALTERA est Suar. referentis dictum D. Thom. ex commentario in Epist. ad Hebr. cap. 1. lect. 4. Vbi explicans sententiam Origenis ait, Hic est cauendus error Origenis; voluit enim quod omnes spirituales creature, etiam anima Christi à principio create fuerint, & secundum quod plus, vel minus adhaeruerunt Deo, vel diuerterunt ab ipso per libertatem arbitrii sui, facta est distinctio inter Angelos, & etiam animas: vnde in Periarchon dicit, quod anima Christi, quia vehementius adhaesit Deo diligendo iustitiam, & odiendo iniquitatem, quod meruit maiorem plenitudinem gratia præ cæteris substantijs spiritualibus. Sed ait Suarez se in Origene nullam mentionem meriti inuenire; sed solum animam Christi ab initio fuisse creatam, & ex tunc indissolubiliter inhaerentem sapientiæ ac Verbo fuisse & sic vnitam fuisse ut omnino non caderet: quæ verba (Inquit Suarez) magis indicant hypostaticam vnionem quàm adhaerentem Deo per amorem, per quem meruerit illi vniri secundum subsistentiam. Sed obseruandum est Originem lib. 1. Periarchon, cap. 7. & 8. docere Deum primò creasse creaturas rationales tantum & omnes æquales, & in eis primò exortam fuisse inæqualitatem ex libero arbitrio, quibusdã conuersis in Deum secundum magis & minus, quibusdã secundum magis & minus

Suar. cens.

Confut.

nus à Deo aueris; & eas quæ ad Deum per libe-
rum arbitrium conuersæ sunt promotas fuisse ad
diuersos ordines Angelorum pro diuersitate
meritorum: eas autem quæ auersæ sunt à
Deo diuersis alligatas fuisse corporibus iuxta
peccati diuersitatem, & quædam in demonibus eu-
uasissæ, vt refert S.D. in l. p. q. 47. a. 2. & in 2. cont.
gent. c. 44. & de potentia q. 3. a. 16. & alibi. Cum igitur
inæqualitas spiritualium substantiarum sec-
undum Origenem primo ex libero arbitrio
bene vel male operante; ac proinde bene vel
male merente fuerit exorta, & secundum
diuersitatem meritorum aut demeritorum,
quælibet substantia spiritualium suum fuerit sorti-
ta gradum, consequens etiam est, vt secundum eu-
iusdem opinionem anima Christi per actum di-
lectionis Deo vehementius adhærendo meruerit
illi hypostaticè copulari. Nec obstat eam corpo-
ri veluti formam fuisse coniunctam: hanc enim
vniõnem non ad ipsius animæ supplicium, sed ad
humani generis redemptionem Deus etiam se-
cundum Origenem in hoc Catholicè sentien-
tem ordinauit, Nec leuem ac facile prolatam
censuram pluribus expedit confutare.

Val. censur.

ALTERA censura est Valentiaë, qui rationem D. Thom. aduersus Origenem infirmam esse pronuntiat duplici motus argumento. *Primum* est: quoniam ex hoc, quod anima Christi fuerit existens, antequam corpus informaret, non videtur sequi eam esse alterius naturæ à cæteris animabus; quia nihil interest ad naturam alicuius rei, quandomam res producat, ante vel post. *Secundum* est: quia non videtur absurdum vt modus ille naturæ scilicet subsistentiæ per se, si anima per se substititisset ante incarnationem, postea corrumpereetur in ipso incarnationis momento: ergo. Probatur antecedens: quia probabilius est subsistentiam illam per se animæ (qualē habent animæ à corporibus separata) non nisi ratione distingui ab ipsa animæ naturā, sicut modum videlicet quendam eius; ergo si anima prius subsistens per se postea assumeretur à Verbo, solum defineret tunc esse ille modus ratione ab ipsa distinctus, nihil autē reale corrumpereetur. *Ad primum* respondetur ex Caiet. rationem D. Th. tribus inniti fundamentis. Primum est, quia ita se habent, vt ex naturis suis vendicent sibi diuersos suæ naturalis productionis modos, esse diuersæ naturæ: Hæc enim diuersitas modorum, quibus producantur, non nisi ex diuersa rerum productarum ratione formalī procedit. Secundum est animas nostras secundum suum naturalem modum fieri creando infundi, & infundendo creari; eo quod sint naturaliter formæ corporum. Tertium est ex Augustinō in prima rerum constitutione non attendi, quid Deus potuerit facere; sed quid exigant ipsæ rerum naturæ & earum ordo. Ex quibus sic arguit S. D. Animæ nostræ secundum veritatem naturaliter producuntur in corpore: anima verò Christi secundum Origenem naturaliter producitur ante corpus; ergo anima Christi non est eiusdem naturæ cum nostris, quod est erroneum. Antecedens quoad animas nostras patet ex 2. fundamento: quoad animam verò Christi patet ex tertio fundamento. Consequentia verò patet ex primo fundamento: igitur si animæ nostræ naturaliter producuntur in corpore: anima verò Christi naturaliter producitur ante corpus; sequitur illas naturaliter esse corporum formas: hanc autem naturaliter nullius esse corporis formam: atque ideo longē diuersam à nostris habere naturam. *Ad secundum* negatur antecedens eius pro-

Confutatio

A bationem dico falsum esse antecedens, vt patet
ex erudita disp. Cai. *sup. q. 4. a. 2.* & ex ijs, quæ late
diximus in *1. p. q. 30. a. 2. contr. 3.*

Circa probationem illam assumptæ conditionalis videlicet, vel non esset facta vniò secundum substantiam, vel corrupta fuisset animæ substantia præexistens: nota idem esse iudicium, & eandem esse rationem secundum D. Th. & veritatem de personalitate seu substantia completa, qualis est in Angelo. Et de semipersonalitate seu substantia incompleta, qualis est in anima rationali, quæ non actu corpus informat, vt hic explicat optimè Cai.

Denique adverte Medinam hic male docere,
animæ subsistentiam & existentiam esse penitus
idem, cuius oppositum ostendimus in *alleg. nostra*
Contr.

SVAR. *disp. 16. sect. 1.* probat aduersus antiquos hæreticos Christi humanitatem non prius duratione fuisse existentem, quàm à Verbo assumptam, quem lege si placet.

CONTROVERSIA VNICA.

Num anima rationalis subsistat, vt quod.

CAI. in 1. p. quæst. 76. artic. 1. & de ente, & es-
 sentia, c. 5. post q. 10. in vlt. p. cap. docet animæ
 intellectiua tam à corpore separata, quam et-
 iam vnita conuehire esse, non tantum vt quo sed
 etiam vt quod, & illud cõmunicare composito,
 eo quòd à materia non dependeat; atque ideo su-
 stentante non egeat, sed per seipsam & in se ipsa
 subsistat. Quam sententiam sequitur Ferrar. in 2.
 cont. gent. c. 68. (licet Bannes eum alleget pro sua
 sententia) Suar. disput. 17. sect. 5. & Aluarez disput.
 29.

29.
Sed idem Cai. *super hoc art.* duo dicit. *Primum*
est animam constituendo propriam personam
non acquirere propriam terminationem seu sub-
sistentiam consummatam; sed medio modo in-
actum & potentiam; quoniam aliquo modo est
quod subsistit & operatur: & aliquo modo non.
Secundum est in separatione à corpore & cor-
ruptione suppositi animam proprium terminum
acquirere consummatam, & illum semel acqui-
tum retinere etiam in reditu ad corpus; & tunc
animam perfectiori modo subsistentiam habitu-
ram, eo quod tunc erit in naturalissimo suo esse.
Sententiam hanc, quoad primum eius dictum fe-
quitur & tueretur Bannes *1. p. qu. 76. art. 1. dub. 4. post*
concl. 2. non tamen affirmat subsistentiam conue-
nire animæ vt quod medio modo inter actum &
potentiam. Pro sua sententia allegat Sotum in *1.*
Phys. q. 7. a. 1. Secundum autem dictum Cai. impu-
gnat Ban. *loc. cit.*

QVIA propositas opiniones, quāquam prima facie diuersæ & oppositæ videantur, existimo nequaquam esse re ipsa differentes, ac proinde posse facile conciliari: ideo breuiter explicata veritate, quatuor conclusionibus meum in proposita controuersia sensum aperiam, & obiectâ conclusionibus aduersa dissoluam.

Sciendum est igitur primum animam intellectiuiam
 tria cum cæteris formis habere communia, & in
 duobus ab eis esse differentem. Primum namque
 commune est animæ rationali & omnibus alijs
 formis, quod ex earum vnione cum materia con-
 stituitur compositum essentiam habens in specie
 completam subsistentiam terminatam, quæ capax
 & susceptiuum efficitur existentie. Secundum quod
 anima nostra & aliæ formæ dant esse materiæ &
 toti composito: & ideo esse proprium est omni

Resolutio.
Præmissa
differentia
anime ra-
tionalis à
cæteris for-
mis, & du-
plici disti-
ctione, alto-
ra de exis-
tere perse
primò, &
altera de
subsistere
ut quod, o-
stenditur a-
nimam in-
tellectuam
tam con-
stantem corpo-

ri, quàm ab eo separata subsistere, ut quod, id est diuerso modo.

formæ ut rationi essendi, seu ut principio quo. *Tertio commune est omnibus formis, ut vnâ habeant cum sua materia, & composito per eas constituto subsistentiam & existentiam. Differunt autem primo, quia ceteræ formæ habent esse dependens à materia, & idè ab ea indigent sustentari & consequenter nec propriam habent subsistentiam & existentiam: ita ut ipsæ secundum se subsistant, quod est habere subsistentiam & existentiam, ut id, quod ea subsistit & existit, sed hæc primo composito siue supposito conueniunt & per illud formæ: anima verò intellectiua sicut non habet esse dependens à materia, ita nullo indiget receptiuo sustentante: atque idè propriam habet subsistentiam & existentiam; ita scilicet ut ipsa per se primò verè ac propriè subsistat & existat, ut enim Caietanus aduertit, in allegato capit. 5. de ente & essentia in solo homine, qui gradum habet inter sensibilia nobilissimum duo coniunguntur rerum ordines, scilicet sensibilis & intelligibilis ac immaterialis, & ille qui longè inferior est, trahitur ad hunc superiorem: Quia nimirum subsistere ac existere hominis, quod parti sensitiuæ & toti composito commune est, ab anima fuit intellectiua; & idè immateriale est & altioris ordinis quàm homo, sicut & ipsa anima, quæ ad ordinem pertinet intelligibilem & intellectualium substantiarum: ac proinde necesse est ut totum compositum quod est homo, subsistentiam & esse mendicet ab anima: cui propria sunt ob dictam causam; quia scilicet ad eius ordinem & genus pertinent. Ex hac sequitur altera differentia, quod ceteræ formæ deducto composito, non retinent illud esse quod erat eis & composito commune, sed esse prorsus amittunt; quoniam illud composito conueniebat, ut eius per se primò receptiuo: animæ verò intellectiue esse conuenit ut per se primò receptiuo; ita ut singulariter ac verè dicatur existentia esse propria animæ intellectiue, & per eam composito communicari, & in hoc eam à ceteris formis esse differentem. Has conuenientias & differentias latius ac vberius explicat Caietanus & Ferrariensis locis supra notatis.*

Secundo Notandum est dupliciter intelligi posse existentiam alicui per se primò conuenire: Vno modo, quatenus ea particula per se primò negat siue excludit omne aliud subiectum essendi, cui prius conueniat esse formaliter, & ita conuenire alicui esse per se primò, est illud habere esse, & non per aliquid aliud, cui prius illud idem esse conueniat; & hoc modo esse per se primò conuenit animæ intellectiue respectu materiæ & totius compositi; quia scilicet prius intelligitur anima per creationem à Deo produci & habere esse: Deinde per informationem communicari materiæ & toti composito per ipsam animam, ut affirmat expressè S. D. in 1. p. q. 76. a. 1. ad 5. dicens: Anima illud esse, in quo subsistit, communicat materiæ corporali, ex qua & anima intellectiua fit vnum: ita quod illud esse, quod est totius compositi, est etiam ipsius animæ; quod non accidit in alijs formis, quæ non sunt subsistentes: & propter hoc anima humana remanet in suo esse destructo corpore: non autem alia forma. Quod etiam frequenter repetit in alijs locis infra notandis: Alio modo potest intelligi existentiam alicui per se primò conuenire: quatenus illa particula per se primò non negat aut excludit omne aliud subiectum ipsius esse; sed illud tantum quod sit existens tanquam suppositum, & ita conuenire alicui esse per se primò est habere esse & non per aliud cui prius con-

ueniat tanquam supposito per se existenti: & hoc modo esse conuenit per se primò toti composito, puta Socrati vel Platoni; quamuis enim alio modo esse per primò conueniat animæ; quia scilicet anima intellectiua prius simpliciter habet esse, & non per aliud, quod sit formale principium & primum receptiuum illius esse.

Tertio considerandum est dupliciter dici posse aliquid subsistere & existere ut quod: Vno modo simpliciter siue absolute & sine addito: & ita subsistere idem est quod esse per se separatim; quod illi tantum conuenit, quod non est in alio tanquam pars in toto: vnde ligni pars à suo toto diuisa dicitur per se subsistere ut quod; quia per diuisionem seu separationem totalitatem acquisiuit, ut iam non in alio tanquam pars sed in se ipsa & per se ipsam actu subsistat ut quoddam totum & ut hypostasis: & quia anima intellectiua à corpore separata iam non est actu pars totius compositi, quod est homo, sed est veluti substantia quadam separata (licet persona non sit eò quod ex sui natura sit compositi pars:) idè dicitur absolute per se subsistens actu; quia cum nullo alio communem habet suam subsistentiam; sed ipsa sola per eam terminatur, & ea mediante recipit existentiam: Alio modo dicitur aliquid subsistere ut quod non absolute; sed cum addito; quia scilicet non indiget aliquo sustentante; quia ab alio ut materia vel subiecto aut etiam principio essendi formali non dependet; neque ex alio subsistit; sed est principium essendi formale ceteris cum eo coniunctis, & primum receptiuum actus essendi; quia scilicet actionem agentis & producentis per se ipsum terminat immediate; quamuis in eodem instanti fiat actu pars vnius integræ & complete substantiæ ex eo & alio cui coniungitur resultant, cui tanquam supposito conuenit absolute subsistere: & hoc modo dicitur anima corpori coniuncta subsistere ut quod, & non tantum ut quo: Quem subsistendi modum Caietanus hic ait esse medium inter potentiam & actum; quia scilicet anima coniuncta corpori, non est simpliciter actu subsistens ut quod; quia pars suppositi est, cui absolute conuenit per se actu subsistere ut quod; pars vero ut pars est nō in se ipsa, aut per se ipsam subsistit ut quod in actu sed in alio & per aliud scilicet per totum, cuius ut totius & ut hypostasis pars est, subsistit. Neque tamen dicenda est anima intellectiua, dum in corpore est, subsistere ut quod tantum in potentia, sicut partes ligni aut ferri, quæ dum actu partes sunt nullam habent propriam subsistentiam, sed sola totius subsistentia terminantur, quæ per se primò toti conuenit, & ex eo deriuatur ad partes; ita ut partes integrales totum actu componentes; non solum à forma sed etiam à toto secundum esse dependant; & nullo modo propriam habeant actu subsistentiam ut quod sed in potentia tantum, quam per actualet à toto diuisionem & separationem acquirunt, ut explicat optimè Caiet. supra q. 4. a. 2. Sed anima intellectiua; quia independens à materia & à toto per eam constituto, propriam habet subsistentiam prius illi quàm toti conuenientem, & per ipsam materiæ & toti composito; & idè dicitur verè ac propriè & in actu per se subsistere, id est non ex alio neque per aliud tanquam per causam, aut ens primò receptiuum existentie; quamuis alia ratione non sit actu per se subsistens; quia scilicet non est per se separata; sed est totius actu pars

Cum

cum eo communem habens subsistentiam; & A hunc per se subsistendi modum appellat Cai. medium inter potentiam, quæ partibus integralibus substantiæ corporeæ connenit, & actum subsistendi separatim, qui supposito proprius est.

Probat
eodem modo
subsistere a-
nimam post
resurrectio-
nem sicut ante
cum esset in
corpore.
& concilia-
tur sententiæ

Et Ex H's pater primò eandem prorsus esse rationem de anima post resurrectionem corpori reunita, quæ est de anima in statu vitæ præsentis; quia semper toti subsistere conuenit vt supposito: animæ verò tanquam illius parti: & in vtroque statu anima subsistentiam habet independentem, tam à materia quàm à toto composito. Et sicut in primo statu indiuiduationem accepit à materia, cui in sui creatione fuit essentialiter coaptata; ita in secundo statu eandem retinet indiuiduationem; quia semper remanet eidem materiæ coaptata; licet ex speciali causa non reuniretur eidem in resurrectione, sed alteri: in quo casu verum est quod huc eruditè Caietanus affirmat, videlicet tunc corpus indiuiduari per animam & non è contra. Secundo patet, opiniones seu dicendi modos supra notatos facillè posse conciliari: Caietanus enim hic & post eum Bannes negat animam corpori coniunctam subsistere per se actu vt quod primo modo; quia modus ille subsistendi proprius est hypostatis & animæ separata, quæ est semipersona: in prima verò parte docet animam per se subsistere vt quod secundo modo. Quod etiam docet Ferrar. & Aluar. & est expressa sententia D. Thom. in 1. dist. 8. q. 5. a. 2. ad 2. ubi ait: Anima sine dubio habet in se esse perfectum; quamvis hoc esse non resultet ex partibus componentibus quidditatem ipsius; nec per coniunctionem corporis efficitur ibi aliquid aliud esse; immò hoc ipsum esse, quod est anima per se, fit esse coniuncti: esse enim coniuncti non est nisi esse ipsius formæ: sed verum est, quod alia forma materiales non sunt per illud esse; sed sunt tantum principia essendi. His enim vltimis verbis, quibus distinguit formas materiales ab anima intellectiua, perspicue docet animam intellectiuam habere esse, non tantum vt quo huc vt principium esse sicut aliæ formæ; sed etiam vt id quod habet esse.

Conclusiones,
deductæ,
& probatæ.

PRIMA CONCL. Anima intellectiua corpori coniuncta in præsentis statu subsistit vt quod absolute vt quod in actu sed in potentia. Probat per primam pars; Quia illud tantum dicitur absolute per se in actu subsistere, quod non in alio tanquam pars in toto subsistit; ergo. Secunda verò pars probatur; quia anima intellectiua est separabilis à corpore, & retinet suum esse post compositi corruptionem; ergo.

SECUNDA CONCLVS. Anima intellectiua corpori coniuncta in præsentis statu subsistit vt quod medio modo inter actum, & potentiam modo exposito in tertio notabili: Hac conclusio patet ex dictis; & probatur ex D. Thoma loc. sup. alleg. ex 1. sent. & 1. p. q. 76. a. 1. ad 5. & de spiritalibus creaturis artic. 2. ad 3. quæ loca notat Ferrariensis, & post eum Aluar. rez.

TERTIA CONCLVSIO. Anima post resurrectionem corpori coniuncta, non alio modo subsistit, quàm in statu præsentis, dum est vnita corpori. Hac est contra Caietanum, & patet ex dictis.

VLTIMA CONCL. Anima separata subsistit per se simpliciter vt quod in actu. Hac patet ex dictis.

Argumenta,
& solutio
hæc.

CONTRA primam conclusionem produci possunt argumenta Cai. ex 1. p. & 5. c. de ente, & eff. & loc. not. Et tria loca S. Tho. supra notata, & duo argumenta, quibus probat Aluar. suam opinionem

sed his probatur tantum secunda nostra conclusio.

CONTRA secundam conclusionem produci possunt duo argumenta Caietani quæ addito alio 3. argumento refert & soluit Aluar. & patet eorum solutio ex dictis: probant enim primam nostram conclusionem asserentem dici absolute non posse animam nostram vnitam corpori subsistere vt quod in actu, sed in potentia negante dictum actualem subsistendi modum; quamvis alio modo subsistat in actu, quem Caietanus appellat medium inter actum prædictum & potentiam modo explicato, & in eodem sensu accipienda sunt quæ scribit Bannes pro defensione secundæ sententiæ Caietani.

CONTRA tertiam conclusionem argumentatur Caietanus; quia differentia est inter animam in sui principio & in resurrectione, quod in sui principio de foris venit vt quo, etià quoad personalitatem; & idè impediri contingit illam à propria & totius personalitate, vt patet in mysterio assumptionis: in regressu autem venit vt quod est, licet partialiter, & potius indiuiduat corpus, quàm indiuiduetur à corpore; ergo sicut indiuiduat & communicat suum esse corpori, & glorificat illud in Sanctis, ita subsistentiam, terminationem & semipersonaliter ad perfectionem humanæ subsistentiæ & personalitatis adducit. Resp. falsum esse antecedens: nam vtroque tempore anima intellectiua venit ad corpus tanquam subsistens vt quo, prout subsistere, vt quo distinguitur contra subsistere, vt quod in actu & absolute; quoniam hoc ipso quod vnitur corpori tanquam forma, non subsistit per se separatim vt quod in toto; sed vt pars in toto; & quia semper anima est independentens à materia & ab ipso toto; nec ab illis mendicat subsistentiam aut existentiam; idè vtroque tempore subsistit vt quod medio modo inter actum & potentiam, vt ante diximus.

ARTICVLVS IV.

VRUM caro Christi fuerit prius à Verbo assumpta, quàm anima vnita.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod caro Christi fuerit prius à Verbo assumpta, quàm anima vnita. Dicit enim Aug. in lib. de fide ad Petrum. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non carnem Christi sine diuinitate conceptam in vtero Virginis, priusquam susciperetur à Verbo. Sed caro Christi videtur prius fuisse concepta, quàm anima rationali vnita: quia materia, vel dispositio prior est in via generationis, quàm forma completiua. Ergo prius fuit caro Christi assumpta, quàm anima vnita.

Præterea, sicut anima est pars naturæ humane, ita & corpus. Sed anima humana non habuit aliud principium sui esse in Christo, quàm in alijs hominibus, vt patet ex auctoritate Leonis Papæ supra inducta. Ergo videtur, quod nec corpus Christi aliter habuerit principium essendi, quàm in nobis: sed in nobis ante concipitur caro, quàm adueniat anima rationalis, ergo etiam ita fuit in Christo. Et sic caro prius fuit à Verbo assumpta, quàm anima vnita.

Præterea, sicut dicitur in libro de Causis, causa prima plus influit in causatum: & prius vnitur ei, quàm causa secunda. Sed anima Christi comparatur ad Verbum, sicut causa secunda ad primam. Prius ergo Verbum est vnitum carni, quàm anima.

Sed contra est, quod Damasc. dicit in 3. libr. Simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, & intellect-

Prop. 1. in
ter op. 11.
103.

reſſectualis. Non ergo vnio Verbi ad carnem, praecellit vnionem ad animam.

Reſpondeo dicendum, quod caro humana eſt aſſumptibilis à Verbo, ſecundum ordinem, quem habet ad animam rationalem, ſicut ad propriam formam. Hunc autem ordinem non habet, antequam anima rationalis ei adueniat: quia ſimul dum aliqua materia ſit propria alicuius formae, recipit illam formam: vnde in eodem inſtanti terminatur alteratio, in quo introducitur forma ſubſtantialis. Et inde eſt, quod caro non debuit ante aſſumi quàm eſſet caro humana, quod factum eſt anima rationali adueniente. Sicut igitur anima non eſt prius aſſumpta, quàm caro, quia contra naturam anima eſt, vt prius ſit, quàm corpori vnatur: ita caro non debuit prius aſſumi, quàm anima: quia non prius eſt caro humana, quàm habeat animam rationalem.

Ad primum ergo dicendum, quod caro humana ſortitur eſſe per animam. Et ideo ante aduentum animae, non eſt caro humana, ſed poteſt eſſe diſpoſitio ad carnem humanam. In conceptione tamen Chriſti ſpiritus ſanctus, qui eſt agens inſinita virtutis, ſimul & materiam diſpoſuit, & ad perfectum perduxit.

Ad ſecundum dicendum, quod forma actus dat ſpeciem: materia autem, quantum eſt de ſe, eſt in potentia ad ſpeciem. Et ideo contra rationem formae, eſſet, quod praeeſſet natura ſpeciei, quae perſicitur per vnionem eius ad materiam: non autem eſt contra naturam materiae, quod praeeſſat natura ſpeciei. Et ideo diſſimilitudo, quae eſt inter originem noſtram, & originem Chriſti ſecundum hoc, quod caro noſtra prius concipitur, quàm animetur, non autem caro Chriſti eſt, ſecundum illud, quod praecedat naturae complementum, ſicut, & quod nos concipimur ex ſemine viri, non autem Chriſtus. Sed differentia, quae eſſet quantum ad originem animae, redundaret in diuerſitatem naturae.

Ad tertium dicendum, quod Verbum Dei per prius intelligitur vnitum carni, quàm anima per modum communem, quo eſt in ceteris creaturis, per eſſentiam, potentiam, & praesentiam. Prius tamen dico, non tempore, ſed natura: Prius enim intelligitur caro, vt quoddam ens, quod à Verbo habet quàm vt animata, quod habet ab anima. Sed vnione perſonali prius ſecundum intellectum oportet, quod caro vnatur animae, quàm Verbo: quia ex vnione ad animam, habet quod ſit vnibilis Verbo in perſona: praeterim, quia perſona non inuenitur niſi in rationali natura.

Sensus quaſiti.

SENSVM & rationem quaſiti explicat Caiet. & poſt eum Suar. Et quaſtio eſt de ordine temporis, & de anima rationali: ratio verò quaſiti eſt communis modus conceptionis ceterorum hominum, & aſſumptio carnis ab initio conceptionis eius.

Forma Textus.

CONCL. eſt: Caro Chriſti non prius fuit à Verbo aſſumpta, quàm anima vnita. Probatur tripliciter. Primò: quia caro humana non eſt aſſumptibilis à Verbo, niſi ſecundum ordinem, quem habet ad animam rationalem ſicut ad propriam formam, & ſecundum quod eſt humana caro; ergo non prius fuit aſſumpta, quàm animae vnita. Antecedens patet ex primo articulo: Conſequentia verò probatur; quia anima non habet hunc ordinem ad animam rationalem, nec eſt humana caro, antequam anima rationalis ei adueniat. Probatur hoc antecedens; quia ſimul dum aliqua materia ſit propria alicuius formae, recipit illam formam; ergo. Probatur hoc aſſumptum; quia in eodem inſtanti terminatur alteratio, in quo introducitur forma ſubſtantialis. Secundo probatur conſuſio; quia ideo anima non prius eſt aſſum-

Naz. in D. Tho. 3. partem

pta quàm caro; quia contra naturam animae eſt, vt prius ſit, quàm corpori vnatur; ergo ſimiliter caro non debuit prius aſſumi, quàm anima; quia non prius eſt caro humana, quàm habeat animam rationalem. Tertio probatur autoritate Damasceni in argumento, ſed contra.

Expoſitio Textus.

HVIUS articuli conſuſio certa veritas eſt Catholicae fidei in pluribus generalibus Concilijs definita & à Patribus explicata. Conciliorum definitiones collegit accuratè Porre-
ta in append. Et Suarez diſp. 16 ſect. 3. Quibus adde doctrinam Ambroſij in lib. de Incarnatione, 6. & 7. cap. & Damasc. lib. 3. c. 2. Theod. Dial. 2. & Fulg. lib. de Incarn. c. 3. & lib. de ſide ad Petrum, ca. 18. quorum verba refert Suar.

Videnda ſunt quae ſcribit hic ſubtiliter Caiet. circa probat. conſeq. & circa reſponſiones ad argum. D. Tho. quae ſingula notauit & explicauit Suar. in ſuo Com.

Difficultatem primò argumento tactam de Chriſti conceptione & breuiſſimè ſolutam proſequitur alibi latius S. D. ſcilicet inſtr. qu. 33. & in 3 diſp. 3. & in 4. contra gent. c. 43. & 44. breuiem ac facilem eius ſolutionem lege, ſi placet, hic apud Medinam & Suarezium loco notato, ſcilicet ſect. 3.

C Ex ſolutione tertij argumenti; vbi dicitur, carnem prius natura vniri Verbo, vt effectum ſuae primae cauſae, quàm animae; quia verò prius intelligitur eſſe quoddam ens, quàm animari, deducit Suar. materiā prius naturae habere eſſe à cauſa prima quàm informetur forma; & cū illud eſſe non poſſet eſſe niſi eſſe exiſtētiā, eo quod hoc eſſe eſt id quod per efficientiā comunicat cauſa prima ſuae creaturae, ſequitur (inquit) materiam ſupponi formae & vt ſupponitur formae effectum Dei. Sed vana Suar. deducitio conſut. & contra bonam Metaphyſ. eſt hac conſequentia; nam ſicut caro prius conſideratur vt ens & vt ſubſtantia & vt corpus, quàm vt animata, ita prius intelligitur anima vniri carni, vt dans illi eſſe ſimpliciter: Secundo vt conſtituens eam in genere ſubſtantiae: Tertio vt conſtituens eam in eſſe corporis; & demum in eſſe animato; ita vt ſinguli gradus metaphyſici, quos ordinatè intelligimus aduenire materiae, ſint eodem ordine ex ſingulis gradibus formae, à qua neceſſe eſt gradus omnes actuales eſſendi, qui ſunt in materia, deriuari.

ARTICVLVS V.

Vtrum tota humana natura ſit aſſumpta a medi-
antibus partibus.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod Filius Dei aſſumpſerit totam naturam humanam median-
tibus partibus eius. Dicit enim Auguſtinus in lib. de Agone Chriſtiano, quod inuiſibilis, & incommutabilis
veritas per ſpiritum animam, & per animam corpus, & ſic totum hominem aſſumpſit. Sed ſpiritus, anima, & corpus ſunt partes totius hominis. Ergo totum aſſumpſit median-
tibus partibus. 3. d. 1. q. 2. a. 1. q. 3. & 4. 3. q. 1. c. & di. 3. q. 5. a. 2. c. & di. 5. q. 2.

Prætereā: Ideo Filius Dei carnem aſſumpſit median-
te anima, quia anima eſt Deo ſimilior, quàm corpus. Sed partes humanae naturae cū ſint ſimpliciores, quàm corpus, videntur eſſe ſimiliores Deo, qui eſt ſimpli-
ciſſimus, quàm totum. Ergo aſſumpſit totum median-
tibus.

Prætereā: Totum reſultat in vnione partium. Sed vnio

Cc

nie

nō intelligitur vt terminus assumptionis, partes autem A
Præintelliguntur assumptionis. Ergo assumpsit totum per
Partes.

Cap. 16.

Sed contra est, quod Damasc. dicit in 3. lib. In Domi-
no nostro Iesu Christo non partes partium intuemur,
sed quæ proximè componuntur, id est, Deitatem & hu-
manitatem. Humanitas autem est, quoddam totum,
quod componitur ex anima & corpore sicut ex parti-
bus. Ergo Filius Dei assumpsit partes mediante toto.

Art. 1. & 2.

Respondeo dicendum, quod, cum dicitur aliquid me-
dium in assumptione Incarnationis, non designatur or-
do temporis: quia simul facta est assumptio totius, & o-
mnium partium: ostensum est enim, quod simul anima,
& corpus sunt adinueniuntur vni ad constituendum na-
turam humanam in Verbo. Designatur autem ibi ordo B
naturæ, vnde per id, quod est prius in naturæ, assumi-
tur id, quod est posterius. Est autem aliquid prius in na-
turæ dupliciter. Vno modo, ex parte agentis: Alio modo
ex parte materiæ: hæc enim duæ causæ præexistunt rei.

Ep. 3. 10. 2.

Ex parte quidem agentis est simpliciter primum illud,
quod primo cadit in eius intentionem: sed secundum
quid prius est illud, à quo incipit eius operatio. Et hoc
ideo, quia intentio est prior operatione. Ex parte verò
materiæ est prius illud, quod prius existit in transmuta-
tione materiæ. In Incarnatione autem oportet maxi-
mè attendere ordinem, qui est ex parte agentis: quia vt
Aug. dicit in Epistola ad Volusianum, in talibus rebus
tota ratio facti est potentia facientis. Manifestum au-
tem est, quod secundum intentionem facientis prius est
completum, quam incompletum, & per consequens to-
tum, quam partes. Et ideo dicendum est, quod Verbum
Dei assumpsit partes humanæ naturæ mediante toto: si-
cut enim assumpsit corpus propter ordinem, quem ha-
bet ad animam rationalem, ita assumpsit corpus & a-
nimam, propter ordinem, quem habent ad humanam
naturam.

Epist. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod ex verbis illis nihil
aliud datur intelligi, nisi quod Verbum, assumendo par-
tes humanæ naturæ, assumpsit totam humanam natu-
ram: & sic assumptio partium est prior in via opera-
tionis, intellectu, non tempore. Assumptio autem naturæ
est prior in via intentionis: quod est esse prius simplici-
ter, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quod Deus ita est simplex,
quod etiam est perfectissimus: & ideo totum est magis
simile Deo, quam partes, in quantum est perfectius.

Ad tertium dicendum, quod vnio personalis est, ad
quam terminatur assumptio: non autem vnio naturæ,
quæ resultat ex coniunctione partium.

Sensus quaesiti.

DE mediatione partium secundum ordinem
naturæ sermo est, vt explicat S. D. in textu
& hic etiam aduertit Suar.

Forma Textus.

PRIMO S. D. proposita triplici distinctione E
secundum vnāquamque declarat sensum
quaesiti. Secundò respondet quaesito vnica con-
clusionē.

Prima distinctio: In medio duplex potest ordo
designari, scilicet ordo temporis & ordo naturæ.
Secunda distinctio est: Aliquid est prius natura
dupliciter: Vno modo ex parte agentis: Alio
modo ex parte materiæ: ratio huius distinctio-
nis est: quoniam hæc duæ causæ præexistunt rei.
Declaratur vtrumque membrum, & primò secū-
dum dicendo illud esse prius ex parte materiæ,
quod prius existit in transmutatione materiæ:
Primum autem declaratur addita tertia distin-
ctione, videlicet ex parte agentis aliquid est
prius dupliciter, scilicet simpliciter & secundum

quid: illud est primum simpliciter ex parte a-
gentis, quod primò cadit in eius intentionem:
illud autem est prius secundum quid, à quo inci-
pit eius operatio. Probatur hæc distinctio: quia
intentio est prior operatione. Ex his declaratur
sensus quaesiti dicendo quatuor. Primum est: Cum
dicitur aliquid medium in assumptione Incar-
nationis, non designatur ordo temporis. Proba-
tur: quia simul facta est assumptio totius & om-
nium partium: quia supra art. 1. ostensum est,
quod simul anima & corpus sunt adinueniuntur vni-
ta ad constituendam humanam naturam in Ver-
bo. Secundum est: Designatur ibi ordo naturæ: ita
scilicet vt per id quod est prius natura assumatur
id, quod est posterius. Tertium est: Hic sermo est
de ordine qui est ex parte agentis. Probatur ex
Augustino: quia in talibus rebus tota ratio facti
est potentia facientis; ergo. Quartum, quod im-
plicitè tantum habetur in textu, est: Hic loqui-
mur de ordine ex parte agentis, qui attenditur
secundum intentionem: hoc patet ex dictis; quia
quod est prius secundum hunc ordinem, est
prius simpliciter.

CONCLUSIO est: Verbum Dei assumpsit partes
humana naturæ mediante toto. Probatur duplici-
ter. Primo: quia secundum intentionem facientis
prius est totum, quam partes; ergo. Antecedens
probatur: quia secundum hunc ordinem prius
est completum, quam incompletum: Conse-
quentia verò patet ex dictis; quoniam illud est
prius simpliciter, quod prius cadit in intentione
agentis. Secundò probatur conclusio: Quia Ver-
bum assumpsit corpus propter ordinem, quem
habet ad animam rationalem; ergo similiter as-
sumpsit corpus & animam propter ordinem,
quem habent ad humanitatem.

Expositio Textus.

MOVET Cai. hic tria dubia litteralia, quæ
subtiliter ac eruditè resoluit. PRIMUM
est de sufficientia secundæ diuisionis. SECUNDVM &
TERTIVM de sufficientia conclusionis D. Tho. cur S.
Thom. duas alias non addiderit, vnā de ordine
naturæ ex parte materiæ in hoc mysterio, & a-
liam de ordine naturæ ex parte agentis secundum
ordinem operationis; quorum solutiones vide li-
vis apud Cai.

CONTROVERSA VNICA.

De veritate Conclusionis. An scilicet Verbum Dei as-
sumpserit partes humanæ naturæ mediante toto?

PRIMA sententia est Duran. in 3. dist. 2. q. 2. ne-
gantis omnem ordinem realem naturæ inter Distingui-
assumptionem totius & partium.

Secunda sententia est Scoti in eadem dist. & quæ-
dam sequitur & tribus conclusionibus expli-
cat Rada in sua 4. Controu. a. 4. Prima eius conclusio
est: ordine intentionis prius fuit assumpta tota
humanitas quam eius partes. Secunda. Verbum
non assumpsit primo animam ordine executio-
nis. Tertia apud eum quinta est: Anima est me-
dium, quo in assumptione respectu totius huma-
næ naturæ. Quarta est. Primum assumptum à
Verbo ordine intentionis, & ordine executionis
fuit tota natura humana.

Tertia sententia est Vasq. diff. 39. c. 3. quatuor
dictis explicata. Primum est: Partes humanitatis
nempe materia & forma non fuerunt assump-
ptæ & vnitæ proprijs vnionibus cum Deo;
sed

sed vnica vnione & assumptione totius humanitatis ; ita vt tota humanitas primariè fuerit assumpta: partes verò consequenter. *Secundum* est: Quamuis primariè fuerit assumpta tota humanitas vt quod , & media illa assumptæ fuerint partes secundariè & remotè , vt quod ordine executionis : nihilominus rectè dicere possumus medijs partibus ordine executionis fuisse assumptam totam humanitatem , quod dictum (inquit) non aduersatur doctrinæ Scoti. *Tertium* est: Vtraque pars dicitur medium quo comparatione totius humanitatis ; quia vtraque parte constituitur natura humana integra vt assumatur , & ita intelligendus est S. Thom. in *solutione primi*, cum ait assumptionem partium priorem esse in via operationis secundum intellectum , & Verbum assumendo partes assumpsisse naturam humanam: non enim (inquit) debet intelligi; vt partes ipsæ secundum se prius etiam ordinationis fuerint assumptæ vt quod , sed vt ipsæ prius conuenerint ad constituendam totam humanitatem, quàm ipsa humanitas assumeretur , & ita fuerint medium quo.

Quarta sententia est Suarezij *diff. 17. sect. 5.* Vbi dicit quatuor. *Primum* est: ordine intentionis tota humanitas fuit prius natura assumpta quàm partes, & eodem sensu potest dici medium seu ratio partes assumendi. *Secundum* est: ordine executionis , tam anima quàm caro secundum se sunt prius natura assumptæ quàm tota humanitas : & hoc sensu dici possunt medium ad assumendam humanitatem. *Tertium* est: per hanc assumptionem non solum assumptæ sunt partes secundum se, sed etiam vt inter se vnitæ, & tota etiam humanitas , vt constans ex his partibus inter se vnitis : ita scilicet vt præter partiales vniones ipsarum partium secundum se intelligatur assumptio terminari ad totam humanitatem; quatenus natura quædam est integra includens partes, non vt cumq; sed vt vnitas inter se; & illam vt sic vniam Verbo speciali modo vnionis constante ex vnionibus ipsarum partium, sed aliquid præter illas addens, quod ad rationem integræ vnionis hypostatice verè pertineat. *Vltimum* est: licet anima & caro secundum se prius natura fuerint assumptæ, tamen vt inter se vnitæ fuerint assumptæ media humanitate; quæ per hanc vnionem vt perfectam & completam fuit per se primò vnita. Eandem ferè sententiam sequitur Pefantius: dicens tamen in humanitate Christi non fuisse vnionem distinctam ab ea , quæ est in materia & forma , & duas vniones partiales materiæ & animæ cum Verbo vniam facere vnionem totalem.

Quinta sententia est Medinæ , qui docet partes humanæ naturæ dici prius assumptas quàm totum; non quòd prius existat aut personentur à Verbo diuino, quàm ipsa humanitas, sed quia prius componunt & causant ipsam humanitatem, quàm ipsa humanitas assumatur à Verbo diuino. Et hunc dicendi modum dicit ab omnibus approbari tanquam legitimum & verum.

Sexta sententia est cuiusdam viri doctissimi, qui dicit tria. *Primum* est: Non dantur duæ vniones humanitatis & partium eius ad Verbum. *Secundum* est: Partes non sunt assumptæ vt quod prius, quàm tota humanitas. *Tertium* est: vt partes vniantur Verbo, sufficit vniri illi humanitatem.

Septima sententia est Aluarezij, qui dicit duo. *Primum* est: Anima Christi secundum ordinem executionis prius natura fuit assumpta à Verbo,

quàm tota humanitas ; ita videlicet vt ipsa anima prius natura subsisteret , vt quod per subsistentiam Verbi , quàm tota humanitas. *Secundum* est : Corpus ordine executionis non fuit prius assumptum vt quod , quàm tota humanitas, sed solum vt quo. Quæ videtur fuisse sententia Gabrielis in 3. *diff. 2. quæst. 1. artic. 2.* Vbi tamen non affirmat , carnem fuisse medium vt quo.

Vltima sententia est Caiet. dicentis, partes humanitatis scilicet animam & corpus prius natura secundum ordinem executionis assumptas fuisse vt quod , quàm assumeretur humanitas. Quam sententiam sequitur Val. *puncto 2. & Asturicensis de Christi gratia, q. 5. pag. 474.* Et videtur fuisse opinio Ricardi in 3. *distinct. 2. articulo 2. quæstione 1.*

AD HUIUS difficillimæ Controuersie definitionem præmitto, non esse absque solido fundamento & necessitate dicendum in assumptione humanitatis ad diuinam subsistentiam & personalitatem immutatum fuisse ordinem subsistentiæ personalitatis nostræ naturalem in terminanda humanitate & partibus eius essentialibus, scilicet anima & corpore. Cum enim in hoc admirabili Incarnationis diuini Verbi mysterio diuina subsistentia creatam præueniat & suppleat subsistentiam : eodem ordine existimandum est naturam & eius partes diuinam subsistentiam terminari, quo propria fuerant naturaliter subsistentia terminandæ. Nec obstat quod supra art. 1. ad 2. S. D. dicat aliam esse rationem de personalitate propria humanæ naturæ : & aliam de personalitate Verbi illam terminantem: non enim affirmat aut intendit diuersitatem hanc attendi penes ordinem terminandi naturam & partes eius, sed quoad hoc quod propria personalitas ex principijs indiuiduantibus naturæ dependet: & ideo corpus vicinius est hypostasi humanæ, quàm anima: Hypostasis autem diuina ex humanitate non pendet, sed ea altior est: & ideo id quod in humanitate nobilius & altius est, illi propinquius est: hoc autem est anima: & ideo Filius Dei assumpsit carnem mediante anima: sed quamuis naturalis humanæ naturæ personalitas ex principijs indiuiduantibus ipsius naturæ dependeat; non tamen sequitur secundum D. Tho. in nobis prius corpus propria subsistentia terminari, quàm terminetur anima, vel tota natura. Nam S. D. ibi solum intendit argumento respondere assumpti corpus magis ad hypostasim pertinere, quàm anima, & ait corpus vicinius esse hypostasi constitutæ per humanam naturam; non autem hypostasi Verbi assumpti humanam naturam: Si autem idem medium sumatur ad ostendendum corpus prius quàm anima naturali subsistentia terminari: facile respondebitur negando consequentiam; quia cum ad hypostasim constituendam duo præcipue concurrant, scilicet natura substantialis & indiuiduatio, illa principalior est: hæc verò secundaria. Quod autem in anima substantiali nobilius ac principalius est, illud etiam prius ac principalius subsistentia terminatur. Cum igitur anima sit in humana natura principalior, illi primò conueniret subsistentia. Licet ergò corpus ratione materiæ & quantitatis, quæ principia sunt indiuiduationis, ad hypostasim naturalem vt indiuidua substantia est magis pertineat: simpliciter tamen ob dictam causam magis ad hypostasim pertinet anima. Vel dicas in hypostasi humana duo considerari; alterum quod est hypostasis substan-

Resolutio
Eundem fuisse ordinem in assumptione humanitatis & partium eius ad diuinam personalitatem, quem etiam habet propria personalitas ad ipsam humanitatem, & partes eius in terminando.

tia materialis, & sic ad eam magis pertinet corpus, ob causam tactam in argumento: alterum quod est hypostasis humana ut sic: & ita magis ad eam pertinet anima rationalis, per quam constituitur in specie humanæ naturæ. Vel dicas ad hypostasim, quatenus hypostasis est materialis, magis pertinere corpus, sed quatenus hypostasis est ut sic, cui conuenit subsistere, magis pertinet anima rationalis, cui per se primo conuenit subsistentia modo superius explicato.

Secundo præmitto non esse in hoc mysterio Incarnationis multiplicanda miracula sine necessitate; quia non minus ordo supernaturalis, quam naturalis abhorret superfluitatem.

Tertio præmitto quæstionem hanc de ordine assumptionis inter partes & totam humanitatem dupliciter posse tractari: Vno modo supponendo realem distinctionem totius à partibus simul sumptis & vnitis: Alio modo, supponendo realem identitatem cum eisdem partibus eodem modo sumptis.

Quarto suppono ea, quæ dixi in præcedenti Controu. de subsistentia animæ rationalis, cum est unita corpori. Quibus præmissis.

Unionem Verbi cū anima & corpore, & cū ipsa tota humanitate fuisse vnā in actu post mortem: antè autem erat vna in actu, & multa in potentia; unde non oportet, quòd aliqua vnio fiat ibi de nouo, sicut nec in diuisione continui sit aliquid de nouo, inquantum id, quod prius erat multa in potentia, vnum autem in actu sit actu plura: Hæc ibi & ad Ambaldum eadem dist. quæst. vnica, artic. 1. ad 4. ait: In morte Christi fuit vna vnio ad animam, & carnem ex parte personæ diuinæ, inquantum relatio vnionis est secundum rationem tantum; sed ex parte assumptionis, scilicet animæ & corporis, fuerunt due in actu, & plures in potentia; & sic non oportet, quòd fuerit ibi facta noua vnio, sicut nec in diuisione continui sit omnino nouum corpus, licet vnum diuidatur in multa: igitur secundum D. Thomam vnica duntaxat vnione Verbum toti humanitati & partibus eius ante mortem vniebatur. Quemadmodum enim lignum & quodlibet corpus homogeneum vnum est suppositum in actu, & plura in potentia, quæ sola diuisione reducuntur ad actum, ita ut quæ prius tantum subsistebant, ut quod in potentia, iam facta diuisione subsistant ut quod in actu, sic anima & corpus in Christo prius subsistebant ut quod in potentia tantum; sed facta per mortem separatione animæ à corpore iam vtrumque seorsum subsistere cepit ut quod in actu, donec iterum unita priorem subsistendi modum receperunt. Et sicut vnica est generatio qua totum puta lignum generatur & fit subsistens ut quod in actu, & quæ partes eius cū toto generantur & fiunt subsistentes in potentia; ita ut ligni subsistentia sit vna in actu, & multiplex in potentia; sic vnica est assumptio qua tota humanitas fit actu subsistens ut quod in actu, & quæ partes eius scilicet anima & corpus fiunt subsistentes ut quod in potentia; ita ut sit vna subsistentia & vnio in actu: multiplex autem non quidem subsistentia; (quoniam hæc est Verbi personalitas, quæ vna est) sed vnio, quæ ex parte vnitorum diuersa est. Et probatur etiam his argumentis. Primo, quia Verbum vnione sua personali supplet subsistentiam humanitatis & partium eius; sed hæc vna tantum est; quia subsistentia animæ est, qua non solum ipsa, sed etiam corpus,

& ipsa tota subsistit humanitas; ergo vna tantum erat vnio &c. Secundo probatur idem; quia Verbum assumendo totam humanitatem hoc ipso aut secundario saltem, partes etiam eius assumit; ergo vna tantum est assumptio & vnio: Tertio, quia sequeretur duplicem esse vnionem partium, scilicet animæ & corporis ad Verbum: alteram qua secundum se vnirentur Verbo; alteram qua eidem vnirentur; ut partes humanitatis; quia impossibile est assumi totum, quin eadem assumptione partes assumantur: si ergo diuersa est assumptio, & vnio humanitatis ab assumptionibus, & vnionibus animæ & corporis, sequitur animam & corpus dupliciter vniri Verbo, semel quidem proprijs vnionibus, iterum autem vnione totius humanitatis, quod nullus hæcenus dixit. Et manifestè absurdum est; cum in eo superfluitatem constituat, quod in Christo præcipuum est. Quarto in creatione, transubstantiatione & alijs mutationibus instantaneis non assignantur plures termini partiales, & vnus totalis; sed vnus tantum scilicet entitas aut esse totius; ergo similiter in assumptione, vnus tantum terminus est. Idem etiam alijs argumentis probat Vasq. disp. 39. c. 2.

Secundo sciendum est, ordinem naturæ de quo loquimur in præsentī Controuersia, esse ordinem causalitatis, qui multiplex est iuxta multiplex genus causæ: est autem duplex hic ordo naturæ: alter enim est intentionis, & alter executionis: Prior attenditur secundum causalitatem finalem; ac proinde etiam secundum formam; quia forma & finis coincidunt in idem numero: alter ordo est executionis, qui attenditur secundum causalitatem agentis & materiæ; quoniam hæc due causæ præexistunt rei faciendæ, ut ait S. D. in textu. Illud igitur quod primo tanquam finis cadit in intentione agentis, est prius secundum ordinem intentionis: illud autem à quo incipit agentis operatio, & quod prius existit in transmutatione materiæ, est prius secundum ordinem executionis, ut hic etiam significat S. D.

Tertio considerandum est ordinem executionis inter aliqua realiter ab inuicem distincta eadem & eodem modo habere media, si sit secundum naturam tantum, quæ habet quando est secundum ordinem temporis, & successionem plurium operationum, ut hic aduertit Caietan. Nam (exempli gratia) domus siue fiat per multas operationes sibi secundum ordinem temporis succedentes, sicut cum ab artificibus ædificatur, siue simul tota fiat à Deo, eadem pertransit media: primo namque intelligitur fieri fundamentum, secundò parietes, tertio tectum. Et quemadmodum cum fit ab arte successiue, prius fit fundamentum ut quod parziale; & eo mediante fiunt parietes, qui prius fiunt ut quod parziale quam tectum, & eo mediante fit tectum ut quod parziale: & demum his omnibus mediantibus, ut quod partialibus fit domus ut quod totale: similiter si domus tota simul à Deo fiat, eundem habebit ordinem naturæ secundum executionem, tam inter partes adinuicem, quam inter easdem toti comparatas.

Quarto obseruandum est, prædictos ordines, scilicet intentionis & executionis esse cōtrarios: adeo ut quod primum est in vno ordine, sit vltimum in alio, & e conuerso, quod idem dicendum est de ordine compositionis & resolutionis: nam primum in ordine compositionis est vltimum in ordine resolutionis, & e contra; Quod verissimum est non solum in compositis constans ex entibus in actu, sicut est domus; sed etiam

Unionem Verbi cū anima & corpore, & cū ipsa tota humanitate fuisse vnā in actu post mortem: antè autem erat vna in actu, & multa in potentia.

Notandum est primo ex D. Thom. in 3. dist. 21. q. 1. a. 1. q. 2. ad 5. vnā fuisse tantum vnionem in actu Verbi cum anima & corpore, & cum ipsa tota humanitate ante mortem, quæ tamen erat duplex in potentia. Eius verba sunt: Ex parte assumptionis, quæ diuisa sunt, due sunt vniones in actu post mortem: antè autem erat vna in actu, & multa in potentia; unde non oportet, quòd aliqua vnio fiat ibi de nouo, sicut nec in diuisione continui sit aliquid de nouo, inquantum id, quod prius erat multa in potentia, vnum autem in actu sit actu plura: Hæc ibi & ad Ambaldum eadem dist. quæst. vnica, artic. 1. ad 4. ait: In morte Christi fuit vna vnio ad animam, & carnem ex parte personæ diuinæ, inquantum relatio vnionis est secundum rationem tantum; sed ex parte assumptionis, scilicet animæ & corporis, fuerunt due in actu, & plures in potentia; & sic non oportet, quòd fuerit ibi facta noua vnio, sicut nec in diuisione continui sit omnino nouum corpus, licet vnum diuidatur in multa: igitur secundum D. Thomam vnica duntaxat vnione Verbum toti humanitati & partibus eius ante mortem vniebatur. Quemadmodum enim lignum & quodlibet corpus homogeneum vnum est suppositum in actu, & plura in potentia, quæ sola diuisione reducuntur ad actum, ita ut quæ prius tantum subsistebant, ut quod in potentia, iam facta diuisione subsistant ut quod in actu, sic anima & corpus in Christo prius subsistebant ut quod in potentia tantum; sed facta per mortem separatione animæ à corpore iam vtrumque seorsum subsistere cepit ut quod in actu, donec iterum unita priorem subsistendi modum receperunt. Et sicut vnica est generatio qua totum puta lignum generatur & fit subsistens ut quod in actu, & quæ partes eius cū toto generantur & fiunt subsistentes in potentia; ita ut ligni subsistentia sit vna in actu, & multiplex in potentia; sic vnica est assumptio qua tota humanitas fit actu subsistens ut quod in actu, & quæ partes eius scilicet anima & corpus fiunt subsistentes ut quod in potentia; ita ut sit vna subsistentia & vnio in actu: multiplex autem non quidem subsistentia; (quoniam hæc est Verbi personalitas, quæ vna est) sed vnio, quæ ex parte vnitorum diuersa est. Et probatur etiam his argumentis. Primo, quia Verbum vnione sua personali supplet subsistentiam humanitatis & partium eius; sed hæc vna tantum est; quia subsistentia animæ est, qua non solum ipsa, sed etiam corpus,

Vasq.

Quid sit ordinem naturæ secundum intentionem, & secundum executionem.

Quomodo differat dispositio ordinum.

iam in compositis constantibus ex pluribus partibus in potentia; quia tales partes, puta materia & forma, suam habent causalitatem; atque adeo prioritatem secundum ordinem naturæ respectu eius, cuius sunt actus causæ: sed quia causæ sunt sibi inuicem causæ: idem quod intelligitur esse prius in aliquo dictorum ordinum secundum unam rationem causæ, potest intelligi & esse posterius secundum aliam rationem causæ. Quas diuersas rationes considerans S.D. in 3. dist. 2. q. 2. a. 1. q. 3. dixit: Verbum quodammodo mediantibus partibus assumpsit humanitatem, & quodammodo partes mediante humanitate. Verba eius sunt: *Partes originaliter sunt priores toto, quasi constituentes ipsum; totum autem completiue est prius partibus; quia ratio naturæ completæ inuenitur prius in ipso toto, & ad partes eius prouenit mediante toto, in quantum eius partes sunt: unde etiam sunt in genere per reductionem. Et idem dicendum est, quod quodammodo mediantibus partibus assumpsit totum; in quantum scilicet partes originaliter humanam naturam constituiebant, cui per se assumptio debebatur: quodammodo autem partes mediante toto; in quantum ratio humane naturæ, quæ per se assumptibilis est, per prius inuenitur in toto, & per hoc in partibus. Hæc ibi S.D. Vbi perspicue loquitur de ordine executionis.*

Sed arguit Aluarez. Partes continui post diuisionem manent existentes in actu; & tamen secundum ordinem compositionis non habuerunt esse prius, quam totum: ergo in eo composito, quod constat ex pluribus entibus in potentia, non est necesse vt ordo resolutionis sit contrarius ordini compositionis. Respond. nullam esse consequentiam, quoniam vt partes sint natura, id est, causalitate priores toto, non est necesse vt habeant esse in actu prius, quam totum; sed satis est vt sint prima radix existentiae: & in eodem instanti temporis sint existentes simul cum toto; nam materia & forma prius natura componunt totum, & suis causalitatibus illud præcedunt, quamuis totum ipsum primò & partes consequenter habeant existentiam: hæc enim est vltima actualitas consequens essentiam in esse completo constitutam: dici tamen possunt prius natura existere non simpliciter, sed secundum genus suæ causalitatis, & habere existentiam vt in fieri.

Quintò aduertendum est partes humanitatis, scilicet animam & corpus dupliciter vnitas esse Verbo: Vno modo secundum se siue secundum proprias entitates: Alio modo quatenus inter se erant coniunctæ vt proprius actus & propria potentia ad constituendam ipsam humanitatem; quæ tamen non fuere plures vniones in actu; sed vna tantum in actu, & plures in potentia, vt supra diximus ex D. Tho. Ex his ad quæsitum respondeo quing; conclusionibus.

PRIMA CONCL. est: Secundum ordinem interioris Filii Dei assumpsit partes humane naturæ mediante toto. Hæc est S.D. in textu.

SECUNDA CONCL. est: Secundum ordinem executionis non prius assumpta est anima, vt quod in actu, quam ipsa tota humanitas. Probatur: quia anima non prius fuit assumpta, quam esset forma corporis; vt autem est forma corporis, non potest subsistere neque existere tanquam quod in actu sed in potentia; quatenus scilicet potest à corpore separari & separata subsistere: potest tamen dici subsistens medio modo inter actum & potentiam, vt supra declarauimus: igitur anima non prius fuit assumpta vt quod in actu; quam ipsa tota humanitas.

TERTIA CONCLVSIO. Anima secundum ordinem executionis prius fuit à Verbo assumpta vt quod in actu, & vt quod medio modo inter actum & potentiam, quam humanitas. Prima pars probatur: quia per animam rationalem constituitur humanitas in esse humanitatis; ergo in esse assumptibili; ergo est medium quo humanitas fuit assumpta. Secundo probatur: quia ordo executionis est contrarius ordini intentionis: at secundum ordinem intentionis prius assumpta est humanitas, quam anima; ergo. Secunda verò pars probatur: quia subsistentia personalis per se primò conuenit animæ & per ipsam corpori & humanitati, ergo etiam subsistentia supernaturalis & diuina primò communicatur animæ; deinde corpori & tertio humanitati. Antecedens patet ex præcedenti Controuersia de subsistentia animæ. Consequ. verò patet ex primo præmissis; quia scilicet idem ordo seruatus est in terminanda humanitate, & eius partibus per subsistentiam supernaturalem, qui seruatus esset, si fuisset humanitas illa & eius partes naturali subsistentia terminata.

QUARTA CONCL. Secundum ordinem executionis corpus prius natura, quam humanitas, fuit assumptum vt quod; non autem vt quod in actu, sed in potentia tantum. Prima pars probatur: quia corpus est causa materialis constituendæ humanitatis; ergo secundum genus causæ materialis prius natura assumitur, quam assumitur humanitas. Antecedens est per se notum. Consequentia patet ex quarto notabili. Secunda pars probatur: quia corpus non est assumptibile, nec fuit assumptum à Verbo, nisi prout actu erat informatum anima rationali; ergo non fuit assumptum tanquam subsistens vt quod in actu. Consequentia patet ex dictis; quia corpus animæ coniunctum non subsistit vt quod in actu secundum ordinem naturalem; ergo nec secundum ordinem supernaturalem. Probatur hæc consequentia ex primo præmissis: Vltima verò pars conclusionis probatur: quoniam, vt ait S.D. in 3. illa vnio Verbi cum humanitate erat vna in actu, & plures in potentia; quia scilicet virtute illius vnionis poterant per se separatim subsistere corpus & anima, si fuissent ab inuicem separata, sicut accidit in triduo mortis.

QUINTA CONCL. Secundum ordinem executionis humanitas primò fuit assumpta vt quod in actu. Probatur: quia soli humanitati per subsistentiam terminatæ conuenit subsistere vt suppositum; ergo illi non autem alicui ex eius partibus, puta animæ aut corpori conuenit per se primò subsistere actu vt quod, absolute loquendo: partibus autem eius conuenit subsistere vt aliquid illius; quia scilicet ex eis integratur suppositum: & idem subsistentia suppositi, quatenus suppositi est, ad ipsas deriuatur, non absolute sed vt aliquid sunt suppositi; igitur subsistentia suppositalis, vt sic inchoat ab humanitate; & ex ea quasi ex principio formali deriuatur ad partes; ergo secundum ordinem executionis humanitati primò communicata fuit hæc subsistentia, & per ipsam partibus. Secundo probatur: quia S.D. in 3. dist. 3. q. 5. a. 2. in c. ait partes humanitatis non esse assumptibiles, nisi ratione totius, quia scilicet humanitas per diuinam subsistentiam constituibilis est in esse suppositi: partes autem per eandem subsistentiam sunt constituibiles, vt sint aliquid eiusdem suppositi: igitur humanitas secundum ordinem executionis primò fuit assumpta vt quod in actu.

CONTRA secundam concl. sunt arg. Cai. quæ refert

Cc 3

Obi. 1. c. 2.

concl.

refert

S. Thom.

Quo ordine fuerit assumptio humane naturæ & eius partes.

Aluaz. obi.

Sol.

Conclusiones, de d. 2. c. 2. probat.

refert & soluit Aluar. sed expedit ea, & quædam alia distinctè proponere, & ex propositis principijs diluere: *arguitur ergo primò*: Quia S.D. in *solutione primi* dissertis verbis affirmat, Verbum prius natura in via operationis, id est executionis assumpsisse partes, quàm totam humanam naturam: quod prius etiam docuerat August. in lib. *de Agone Christian. c. 18. & sequent. & in epist. 3.* ergò. Respondetur Sanctos Thomam & Augustinum non asserere prius assumptas fuisse partes humanitatis vt quod in actu, sed eorum verba interpretanda sunt in sensu 3 & 4. conclusionis.

Solur.

Obiectio 2.

Conf.

Sol.

Ad Conf.

Obiect. 3.

Secundò, ordo compositionis est contrarius ordini resolutionis; sed ordo resolutionis incipit à tota humanitate, & terminatur ad partes vnitas Deo, vt quod in actu; ergo ordo compositionis incipit ab assumptione & vnione partium vt quod in actu. *Confirmatur*; quia aliàs vnio partium in triduo mortis cum Verbo esset nouum miraculum; quod non est asserendum. Probatur sequela; quia si partibus communicatur subsistentia diuina mediante toto, consequens necessariò est vt corrupto toto, ac per hoc cessante in eo diuina subsistentia, esset etiam in partibus, in quas ex ipso toto deriuabatur. Cum itaque partes humanitatis Christi post mortem fuerint semper diuina subsistentia terminatæ, necesse est noua assumptione ac proinde nouo miraculo factum esse, vt in triduo mortis diuino personalitate subsisterent. *Respond.* ordinem resolutionis esse contrarium ordini compositionis secundum rationem ordinis; quia quod est primum in vno, est vltimum in alio ordine; non tamen oportet ita esse contrarium, vt seruetur idem essendi modus ordinatorum in vtroque ordine, præsertim quando compositum constat ex pluribus entibus in potentia: non est enim necesse, vt quemadmodum partes talis compositi in resolutione fiunt in actu vt quod, ita in compositione prius habuerint esse vt quod in actu, sed sufficit habuisse esse vt quod in actu; & vt quod in potentia: & ratio diuersitatis est; quia compositum, quod per se vnum est exigit vt vnum habeat esse & vnā subsistentiam; & ideo nulla pars potest vt existens tantum quod in actu componere totum: neque natura compositi vt sic exigit partes actu prius existere separatas: at natura resolutionis, quæ totum resoluitur, partibus adinuicem separatis & minimè corruptis necessariò postulat, vt quælibet earum facta resolutione existat in actu vt quod. *Ad confirmationem* negatur sequela. *Ad probationem* dico primò partibus quodammodo communicari subsistentiam mediante toto, & quodammodo è contra medijs partibus toti communicari, vt ait S.D. loco *supra notato*. Secundò dico vnionem illam Verbi cum humanitate & eius partibus fuisse vnā in actu, & plures in potentia; vt ait idem S.D. loco *supra allegato*: & ideo virtute primi miraculi, quo Verbum fuit personaliter vnitum toti humanitati, remansisse partibus vnitum in triduo mortis Christi.

Tertiò: Anima Christi prius natura fuit creata, quàm formaretur humanitas; ergò anima prius fuit assumpta, & per subsistentiam Verbi terminata, quàm humanitas. Antecedens probatur; quoniam humanitas Christi formata fuit per vnionem animæ ad corpus: vnio autem supponit existentiam extremorum: ac proinde etiam actiones, quibus producuntur extrema, Conseq. verò probatur; quia prioritas actionum attenditur ex prioritate terminorum: terminus autem creationis animæ non potuit alio mo-

do prior esse terminus assumptionis humanitatis, nisi quia prius fuit assumptus quàm tota humanitas; quia anima Christi non habuit existentiam, nisi per assumptionem: ergo si prius natura est existens, quàm tota humanitas, prius etiam fuit assumpta vt quod in actu. *Confirmatur* Conf. 1.

primò: quia aliàs anima Christi non esset propriè creata neque concreta sed generata. Probatur sequela; quia quod existit dependenter à toto, non potest dici propriè creatum; ergò si animæ Christi communicatur subsistentia dependenter à toto, non erit propriè creata. Deinde non esset concreta; quia in humanitate cum actu generatur nihil est aliud quod tunc creetur, cum quo simul dici possit anima creari.

Secundò confirmatur; quia supra diximus animam prius à Verbo assumptam fuisse quàm caro; ergò prius etiam fuit assumpta quàm humanitas. Probatur illatio; quia in illo priori non intelligebatur humanitas vnita Verbo, eo quod in illo priori nondum erat humanitas quæ resultat ex vnione animæ ad corpus. *Resp.* creationem animæ consideratam, vt in fieri esse natura priorem assumptione, sed assumptionem, vt in facto esse siue vt in termino esse priorem creatione sumpta vt in termino, vt supra declarauimus q. 2. ar. 7. & hic explicat Aluar. *Ad primam confirmationem* negatur consequentia, quia anima Christi non habuit esse dependenter à materia, nec à toto, & considerata assumptione & vnione vt in fieri, prius natura fuit assupta anima vt quod medio modo inter actū & potentia; quā ipsa tota humanitas. Et hoc idē probat 2. cōf. *Ad 2. conf.*

CONTRA tertiam concl. sunt argum. quæ pro sententia Med. profert & soluit Aluar. *disp. 30.* *cont.* Contra eandem concl. arg. Scotus, & cum eo Rada *Primò*: quod est primò personabile in se, si sibi dimitteretur, hoc in alio primò personatur, qñ assumitur; sed tota natura est primò & immediatè hoc modo personabilis in se si sibi dimittatur, & nō pars vel partes; igitur ipsa primò & immediatè personatur à Verbo. Maior probatur; quia personalitas aliena supplet personalitatem propriā, & in eodē instanti naturæ, in quo personaretur in se, si sibi dimitteretur, personatur in alio vel ab alio: nam ante illud instans nihil est natū assumi; quia nō prius fuit natura singularis, nec post illud instans assumitur; quia tunc esset persona in se. Minor verò probatur; quia in eodē instanti naturæ, in quo materia vel forma præcedit totum, neutrum est persona, sed tūc primò, qñ ex his vnitis est tota natura conflata: tunc enim ipsa natura est persona in se, si nō impediatur ab assumptione. *Et cōfirmatur*; quia ordo personationis est contrarius ordini generationis; ergò id primò personatur, quod est ordine generationis & sū naturam posterius: sed tota natura humana est sic posterior suis partibus; ergò ipsa fuit prius natura assumpta, quàm partes, & ex consequenti ipsa fuit primò assumpta. *Secundò* in nobis humanitas prius personatur, quā singulæ partes; ergò etiā in Christo. Probatur conseq. nam qñ fides nō repugnat naturæ, de supernaturalib. iudicandū est, sicut per naturā est cōparatū. *Et cōfir.* quia D. Th. docet, quod simpliciter & absolutè prius est assūptū totum quàm partes, sed sū quid partes sunt prius assumptæ quàm totū; at si partes prius subsistunt, & personatur quā totū, euidenter sequitur quod partes simpliciter prius sunt assumptæ quā totum, quod D. Th. negat. *Resp.* cū duplici distinctione: *Prior* est: Aliquid dici potest personabile aut personari dupliciter. Primò: quia potest fieri vel sit persona aut constitutum personæ, vt tot-

ta humanitas: secundò quia potest fieri aliquid a personæ, vt partes humanitatis. *Posterior* distinctio est: Personari secundo modo contingit dupliciter: Vno modo per modum fieri & viæ ad personationem primo modo dictam, quæ toti conuenit humanitati: & sic personari id est fieri aliquid personæ per modum scilicet tendentis ad constitutionem personæ quæ est in fieri, conuenit primò animæ, & per eam corpori, quod vnitum animæ fit subsistens per se vt quod in potentia: & demùm animæ subsistentia communicatur huamnitati: Alio modo dicitur aliquid illo secundo modo personari, non vt in via & vt in fieri, sed vt in termino secundario & vt in facto esse: & hoc modo personari id est fieri & esse aliquid personæ, non prius conuenit partibus humanæ naturæ, quàm ipsi naturæ; quoniam vt antè diximus subsistere in ratione suppositi primò conuenit toti, & ex eo diffunditur ad partes, quæ dicuntur subsistere vt aliquid suppositi, nec possunt propriè dici aliquid suppositi in facto esse, nisi supposito iam existente. *Ad argum.* in forma dico maiorem esse veram de personabili & personari iuxta primum modum primæ distinctionis, falsam autem iuxta secundum eiusdem distinctionis modum. Ad cuius probationem dico eam concludere de personabili primo modo tantum: Minor etiam vera est de personabili primo modo: falsa autem de personabili secundo modo; nam animæ sibi dimissæ primo simpliciter conuenit subsistere, & per eam corpori, & vltimò humanitati: cui tamen alia ratione conuenit primò subsistere scilicet in ratione suppositi, & per eam partibus, quæ vltimò subsistunt vt aliquid suppositi iam constituti. *Ad confirmationem* dico, ordinem personationis iuxta primum modum primæ distinctionis, & iuxta secundum secundæ distinctionis esse contrarium ordini generationis: ordo autem personationis iuxta secundum modum primæ dictionis, & primum secundæ conformis est ordini generationis. Et eodem modo soluitur *secunda confirmatio*. *Ad tertiam* ex D. Th. patet solutio ex littera D. Th. quæ manifestè loquitur de ordine secundum intentionem agentis dicens id esse primum simpliciter ex parte agentis, quod primò cadit in eius intentionem: & idè falsà est illa subsumpta propositio: at, si partes prius subsistunt & personantur quàm totum, &c. Caiet. alia via diluit argumenta Scoti, dicens non esse similem ordinem assumptorum ad personam assumptam, qui esset eorundem ad propriam personalem, quod principium arbitratu se colligere ex D. Th. *art. primo huius Quæstionis ad secundum*: sed id non esse verum, nec ad mentè D. Th. supra satis ostendimus.

Ad Conf. 1.

Ad 2. conf.

Ad 3. conf.

Obi. 1. cõ. 4.

concl.

Sol.

Obi. 2.

CONTRA eandem conclus. & simul contra quartam argumentatur quidam vir doctissimus. Primò; quia S. D. contrarium videtur affirmare in 3. dist. 2. q. 2. a. 3. & q. 5. a. 2. Resp. D. Thom. in priori loco solum dicere, nullum horum trium esse possibile, videlicet carnem prius conceptam fuisse, & postmodum assumptam animam prius fuisse creatam & postea assumptam, & hominem prius ex suis partibus fuisse constitutum & postea assumptum: in posteriori verò loco probat conceptionem corporis Christi non fuisse successiuam sed instantaneam, quæ manifestè constat nostris conclusionibus non esse contraria. Secundò partes non sunt assumptæ nisi mediante tota entitate; ergò tota fuit prius assumpta. Antecedens probatur; quia assumptibilitas con-

stitit in necessitate, & dignitate, quæ per se primò conueniunt toti humanitati: non autem parti; ergò. *Resp. primò* partes fuisse assumptas mediante tota entitate secundum ordinem intentionis. Secundò fuisse assumptas mediante tota entitate, vt primò habente subsistentiam completè seu vt quod in actu non autem vt primò simpliciter habente subsistentiam: hoc enim vt supra diximus est anima rationalis. Ad probationem antecedentis dico ex dignitate & necessitate per se primò conueniente humanitati solum deduci partes fuisse assumptas mediante tota entitate, vt prius assumpta secundum ordinem intentionis tantum. *Secundò dico* sequi partes assumptas fuisse mediante tota entitate, vt prius assumpta ad completè subsistendum seu vt quod in actu, prout affirmat vltima nostra conclusio.

Tertio sequeretur Deum in executione inesse posse Incarnationem à rebus imperfectioribus & incompletis, & non formatis scilicet à partibus, quod esse inconueniens ostendit S. D. in simili infra q. 33. a. 1. & 4. cont. gent. c. 44.

Resp. primò S. Th. in dictis locis, & præsertim in dicto c. 44. asserere quòd inconueniens fuisset, quòd Verbum quod est fons & origo omnium perfectionum & formarum, vniretur alicui rei informi, & nondum perfectionem naturæ habenti; & idè non fuisse conueniens, vt Verbum vniretur corpori nondum animato & formato. Quod etià nos affirmamus dicentes, animam non prius à Verbo fuisse assumptam quàm esset carni vnita, & carnem prius fuisse humanam per animæ informationem quàm esset assumpta; sed quia partes sic vnitæ præcedunt suis causalitatibus totum; idè dicimus eas fuisse prius natura, quàm totum ordine executionis assumptas. *Secundò dico* hoc argumento probari vltimā nostrā conclusionē videlicet totū vt quod in actu fuisse prius natura, quā partes assumptū.

Quartò sequeretur partes bis assumi, semel in se ipsis prius, quàm tota entitas, & secundò in tota entitate. Probatur consequentia; nam implicat vniri totum vel assumi, quin vniantur vel assumantur partes; quia totum est idem essentialiter quòd partes, vel includit illas. *Et confirmatur*; quia aliàs posset Deus assumere aliquod totum manente parte eius cum aliena subsistentia, quod est impossibile. *Resp.* nullam esse consequentiam propriè & formaliter loquendo. Ad probationem dico primò; licet implicet assumi & vniri totum, quin assumantur & vniantur partes; non tamen implicat assumi & vniri partes prius natura, quàm assumatur totum; nec verum est totum esse idem essentialiter quòd partes: distinguitur enim ab eis realiter, vt ostendimus de mente D. Th. 1. p. q. 3. a. 7. Secundò dico non implicare totum vt quod actu assumi prius natura, quàm partes secundum eam rationem, qua distinguitur ab eis, & posterius natura partes assumi, quatenus aliquid eius sunt in facto esse: sic enim totum causalitate quadam formali præcedit partes. *Ad confirmationem* negatur consequentia: aliud est enim totum esse assumptibile sine partibus: primum enim est verum. Secundum autem est impossibile; quia partes alio modo prius natura, quā totū sunt assumptibilis, & actu fuerūt assumptæ.

Quintò tota entitas in nobis per se primò ordine executionis personatur & non primò partes eius; ergò idè est de humanitate Christi. Antecedens probatur; quia teste D. Th. in 3. dist. 5. quæst. 3. a. 2. ratio personæ, cum sit ratio entis vltimò completi & perfecti, non primò conuenit parti. Consequentia verò probatur: Quia

Solus.

obi. 6.

Verbum eodem modo & ordine personat humanitatem, quo personaret illam propria personalitas: quia cum propria personalitas impediatur per alienam, impeditur solum eo modo, quo aliena communicatur; ergo. Si aliena communicatur primo toti, personalitas propria prius impeditur, ne communicetur toti. *Respond.* Antecedens verum esse de personari id est fieri personam, & de personari id est fieri aliquid personæ, ut in termino: falsum autem est de personari, id est fieri aliquid personæ, ut in via ad personam constituendam. Probatio vero antecedens verum assumit, & probat personari primo modo conuenire per se primo toti.

Sexto ut partes assumantur à Verbo, sufficit vniri illi humanitatem; ergo. Antecedens probatur primo: Quia S. D. locis supra notatis ait vnam esse tantum totius humanitatis & partium eius assumptionem. *Secundo* quia ut anima & corpus habeant esse, & producantur à Deo, satis est immediatè creati totum, non autem necesse est ut partes prius toto producantur, & habeant in se ipsis existentiam; ergo ut partes assumantur satis est assumi totum; quia in se includit partes & sine illis assumi nequit. *Tertio* ut partes nostre humanitatis suo modo subsistant, satis est personalitatem primo terminare totam humanitatem; nam consequenter & mediatè terminat eius partes; ergo idem erit de personalitate Verbi, quæ substituitur loco personalitatis propriæ. *Ultimo* ut aliæ actiones terminentur ad totum, satis est ut terminentur ad partes suo modo, quatenus sunt capaces illius; ergo idè erit in assumptione. Antecedens probatur: nam satis est totum annihilari vel transsubstantiari, ut partes annihilentur vel transsubstantientur: & sic de alijs; ergo.

Solus.

Resp. antecedens dupliciter sumi posse: primo in sensu formali, ut scilicet partes hoc ipso formaliter dicantur assumi, quod assumitur totum formaliter & præcisè sumptum prout scilicet à partibus distinguitur, & ita falsum est ut patet ex dictis: non enim partes hoc ipso secundum se dicuntur assumi, quod totum ut totum est assumitur; quoniam ut diximus realiter & essentialiter distinguuntur partes à toto: Alio modo sumi potest in sensu materiali, & ita verum est sed cū eius veritate stat ordo prædictus in assumptione: & ideo Sanctus Doctor, loco superius allegato docet vnionem totius & partium esse vnam formaliter & plures virtualiter. *Ad primam* probationem antecedentis dico nullam esse consequentiam, ut patet. *Ad secundam* concedo antecedens de existentia & subsistentia in actu; non autem de existentia & subsistentia in potentia: eo modo quo partibus iuxta earum naturam potest conuenire; ut patet de anima rationali, quæ per se primo vendicat sibi subsistentiam, & de corpore quod potest ab anima separari & subsistere: & ideo anima prius natura habet subsistentiam ut quod medio modo inter actum & potentiam quàm humanitas, & corpus etiam prius natura subsistit in potentia ut quod quàm humanitas. *Ad tertiam* negatur antecedens, ut patet de anima cui per se primo naturaliter conuenit subsistentia, & per eam communicatur composito. *Ad ultimam* concessio antecedente dico modum proprium terminandi actionem personæ humanæ productiuam esse, ut anima creetur in corpore ut primo subsistens, & ita ab ea deriuetur subsistentia ad corpus & ad totum. *Ad probationem* antecedentis dico annihilationem: quia est resolutiua, prius natura terminari ad entitatem to-

Atius & postea ad entitates partium: transsubstantiationem autem eundem modo nostro intelligendi habere progressum, quem haberet si fieret successiue, ut ait Caietanus de domo &c. quælibet enim pars essentialis substantiæ compositæ secundum rationem sue causalitatis prius ordine executionis alterà & ipso toto intelligitur transsubstantiari, sicut & ipsum totum non solum ordine intentionis, sed etiam suo modo ordine executionis prius intelligitur transsubstantiari, quàm partes quatenus eius entitates respectu entitatis partium quandam habet causalitatem formalem; atque adeo prioritatem naturæ.

ARTICVLVS VI.

Utrum humana natura sit assumpta mediante gratia.

Ad Sextum sic proceditur. Videtur quod Filius Dei assumpsit humanam naturam mediante gratia. Per gratiam enim vnimur Deo. Sed humana natura in Christo maxime fuit Deo vnita. Ergo illa vnio facta fuit per gratiam. 3 dist. 2. q. 2 art. 2. q. 13. q. 3 art. 1. q. 2. q. 29. q. 22.

Præterea: Sicut corpus viuunt per animam, quæ est eius perfectio, ita anima per gratiam. Sed humana natura redditur congrua ad assumptionem per gratiam. Ergo Filius assumpsit animam mediante gratia.

Præterea: August. in 15. de Trin. dicit, quod Verbum incarnatum est sicut verbum nostrum in voce. Sed verbum nostrum vnitur voci mediante spiritu. Ergo verbum Dei vnitur carni mediante spiritu sancto, & ita mediatè gratia, quæ spiritui sancto attribuitur: secundum illud prime ad Cor. 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus.

Sed contra est, quod gratia est quoddam accidens animæ, ut in secunda parte habitum est. Vnio autem Verbi ad humanam naturam est facta secundum subsistentiam, & non secundum accidens, ut ex supradictis patet. Ergo natura humana non est assumpta mediante gratia.

Respondeo dicendum, quod in Christo ponitur gratia vnionis, & gratia habitualis. Gratia ergo non potest intelligi, ut medium in assumptione humane naturæ, siue loquamur de gratia vnionis, siue de gratia habituali: Gratia enim vnionis est ipsum esse personale, quod gratis diuinitas datur humane naturæ in persona Verbi: quod quidem est terminus assumptionis. Gratia autem habitualis pertinet ad spirituales sanctitatem illius hominis, est effectus quidem consequens vnionem secundum illud Ioann. 1. Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Per quod datur intelligi, quod ex hoc ipso, quod ille homo est Vnigenitus à Patre (quod habet per vnionem) habet plenitudinem gratiæ, & veritatis. Si vero intelligatur gratia, voluntas Dei, aliquid gratis faciens, vel donans, sic vnio facta est per gratiam, non sicut per medium, sed sicut per causam efficientem.

Ad primum ergo dicendum, quod Vnio nostra ad Deum est per operationem, in quantum scilicet eum cognoscimus, & amamus, & ideo talis vnio est per gratiam habituales, in quantum operatio perfecta procedit ab habitu. Sed vnio naturæ humane ad verbum Dei, est secundum esse personale: quod non dependet ab aliquo habitu, sed immediatè ab ipsa natura.

Ad secundum dicendum, quod anima est perfectio substantialis corporis, gratia vero est perfectio animæ accidentalis. Et ideo gratia non potest ordinare ani-

mam

mam ad vnionem personalem (quae non est accidentalis) sicut anima, & corpus.

Ad tertium dicendum, quod verbum nostrum vnitur voci mediante Spiritu: non quidem sicut medio formali: sed sicut per medium mouens. Nam ex verbo conceptio interius procedit spiritus, ex quo formatur vox. Et similiter ex verbo aeterno procedit Spiritus sanctus, qui formauit corpus Christi: vt infra patebit. Non autem ex hoc sequitur, quod gratia Spiritus sancti sit formale medium in vnione praedicta.

Sensus, & ratio quaesiti.

SUMITUR hic nomen gratiae indifferenter ad tres modos, quos S. D. distinguit in textu: sed videtur superuacaneus hic articulus; quia supra q. 2. a. 10. proposuit S. D. idem quaesitum, & eodem modo resoluit, quo praesentis art. quaesito satisfacit. Resp. quaesita distingui secundum rationes & occasiones quaerendi: constat autem ex declaratione ordinis articulorum illius & huius quaestiones diuersam esse rationem quaesiti hic & ibi, neque hoc in loco tantum S. D. idem quaesitum ob diuersam rationem quaerendi explicauit, sed etiam alibi; nam in 1. 2. q. 109. a. 5. quaerit, vtrum homo possit mereri vitam aeternam sine gratia? Quod etiam quaesitum proposuit & resoluit in eodem libro, q. 114. a. 2. demum in 2. 2. q. 10. a. 12. quaerit vtrum pueri Iudaeorum & aliorum infidelium sint inuitis parentibus baptizandi, quod etiam quaerit infra in hoc lib. q. 68. a. 10.

Vide etiam quae in principio expositionis scribit Med.

Forma Textus.

PROPOSITA distinctione respondet quaesito duplici conclusione.

Distinctio est: Gratia tripliciter dici potest, duobus quidem modis in Christo scilicet gratia vnionis, & gratia habitualis, & tertio modo voluntas Dei aliquid gratis faciens vel donans.

PRIMA CONCL. est: Gratia non potest intelligi, vt medium in assumptione humanae naturae, siue loquamur de gratia vnionis siue de gratia habituali. Probat per quod ad primam partem: quia gratia vnionis est ipsum esse personale, quod gratis datur humanae naturae in persona Verbi; ergo gratia vnionis non potest intelligi vt medium. Probat per sequela; quoniam hoc esse personale est terminus assumptionis; ergo. Quo ad alteram vero partem probatur; Quia gratia habitualis pertinet ad spirituales sanctitatem illius hominis, est effectus quidam consequens vnionem; ergo non est medium. Antecedens probatur auctoritate diuinae scripturae Ioannis primo dicentis: Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti Patre plenam gratia, & veritatis, per quod datur intelligi, quod ex hoc ipso quod ille homo est vnigenitus à Patre (quod quidem habet per vnionem) habet plenitudinem gratiae & veritatis; ergo gratia habitualis in Christo est effectus quidam consequens vnionem.

SECUNDA CONCL. Si nomine gratiae intelligatur voluntas Dei aliquid gratis faciens vel donans, sic vnio facta est per gratiam, non sicut per medium; sed sicut per causam efficientem: haec relinquitur, vt manifesta ex dictis in prima parte, quaest. 19. art. 4. & supra quaest.

2. art. 10.

Expositio Textus.

PRAETER ea, quae supra notata sunt in expositione articuli 10. quaestiones secunda, videnda sunt etiam ea quae breuiter, ac eruditè scribit Caiet. super hoc a. Med. proponit hic dubitationem non satis ad rem pertinentem: An vnio hypostatica ponat in Christi humanitate vllum aliud creatum donum praeter gratiam creatam, & habituales charitatem, ac ceteras doctas in pura creatura reperiabiles: cuius elegantem resolutionem lege, si lubet, apud ipsum.

CONTROVERSIA VNICA.

De veritate prima conclusionis, quo ad secundam partem: An scilicet gratia habitualis humanitatis Christi fuerit, aut esse potuerit medium assumptionis & vnionis eius ad Verbum?

QVAESTIO haec est de medio, siue per modum nexus siue per modum dispositionis; nam et si D. S. non meminerit dispositionis; in ultimo tamen articulo sequentis quaestiones; vbi eandem versat difficultatem, in argumento secundo & eius responsione agit de gratia habituali per modum dispositionis considerata in ordine ad vnionem.

Referunt recentiores & praesertim Su. disp. 10. sect. 2. & Vasq. disp. 40. c. 1. quatuor antiquorum Theologorum sententias. Prima est quorundam innotuatorum asserentium fuisse in assumpta humanitate dispositionem, quae cum vnione eiusdem humanitatis ad Verbum hypostatica naturalem haberet connexionem, ita vt posita tali sufficienti dispositione statim veluti necessario & ex natura rei vnio consequatur eo modo, quo posita dispositione corporis ad animam rationalem sequitur vnio animae cum corpore naturaliter & necessario. Hanc opinionem refert Gabriel in 3. dist. 2. q. vnica.

Secunda sententia est Alex. in 3. parte sua summae, q. 7. memb. 2. a. 1. & q. 11. membro vlt. & q. 12. membro primo dicentis in humanitate assumpta fuisse dispositionem omnino necessariam, vt vniri posset cum Verbo personaliter; hanc autem dispositionem fuisse gratiam habitua-

Tertia sententia est ad vnionem humanitatis cum Verbo interuenisse gratiam habitualementam dispositionem, non vt necessariam sed vt decentem & congruam: Ita videtur sentire D. Th. in 3. dist. 2. q. 2. a. 2. & dist. 21. q. 1. a. 1. q. 1. ad 4. S. Bonau. eadem dist. a. 3. q. 2. Palud. quaest. 2. art. 3. Carthus. quaest. 5. Gab. loco supra notato, & Marfil. q. 10. a. 1. ad 1. dubium.

Ultima sententia est D. Thom. in hoc art. & supra quaest. 2. art. 10. & in sequenti quaest. art. vlt. ad 2. negantis vllam in humanitate fuisse aut esse potuisse dispositionem ad vnionem eius tatis & ordinis cum Verbo. Quam sententiam sequitur Durandus in tertio distinct. 2. quaest. tertio. Scotus in eadem distinct. quaest. secunda. Caietanus hic, & alijs locis supra notatis, & alij Thom. mista; quibus consentiunt Suar. & Vasq. locis allegatis.

AD HUIUS Contro. resolutionem considerandum est primo duplicem inter medium, & finem intelligi ac fieri posse comparisonem Prioris.

Sententia Doctorum.

Resolutio. Gratia Christi habitualis in vnione fuisse mecum congruam, & ordinatam ad vnionem, & ad habendam ordinem in vnione, & ad habendam ordinem in vnione, & ad habendam ordinem in vnione.

Prior est considerando finem, quatenus in fieri & in consecutione dependet à medio; quemadmodum sanitas dependet ex medicina: Posterior est considerando finem ut iam existentem & assumentem aut utentem medio ad operandum: adeo ut medium non ad esse finis sed ad solam eius operationem ordinetur: hoc modo naturales animæ, aut cuiusvis alterius naturæ facultates dicuntur eius media, quatenus eis mediantibus suas exercent operationes: & eodem modo creaturæ dici possunt media respectu Dei mundum sua providentia gubernantis. Nam, ut ait S. D. 1. p. quæst. 102. art. 6. Quamvis Deus quo ad rationem gubernationis omnia immediate gubernet; tamen quo ad executionem gubernationis Deus quædam gubernat mediantibus alijs, ut ibi declarat & probat S. D. Vel etiam creaturæ dicuntur media respectu Dei ultimi finis; quatenus ita sunt à Deo creatæ, ut in eius bonitatem & gloriam, tanquam in ultimum finem ordinentur. Vel brevius & clarius distinguamus cum Caiet. *infra q. 8. a. 5. circa respons. ad 3. D. Thom.* duplex esse medium: alterum quod est præcedens ut via & dispositio ad esse vel ad unionem rerum respectu quarum est medium, siue sit medium solius congruitatis siue etiam necessitatis, sicut calor medium est disponens ad formam ignis: alterum est medium consequens rerum unionem, respectu quarum est medium; & hoc dicitur medium congruitatis & ornatus, non antecedentis sed consequentis unionem extremorum iam antea factam, sicut iocalia & cæteri ornatus mulieris iam Principi desponsatæ reddunt illam Principi congruam, & grauitas terram consequens reddit formam eius propriæ materiæ congruentem. Et eadem ratio est de qualibet proprietate naturaliter rei compositæ naturam consequente: & in hoc sensu dixit *loco notato* S. D. gratiam Christi personale posse quodammodo dici gratiam unionis, quatenus facit congruitatem ad unionem: loquitur enim de congruitate non ad modum dispositionis præcedente; sed ipsam hypostaticam unionem consequente, eamque exornante ac per hoc illi congruitatem conferente, & in eodem sensu loquitur S. D. 3. dist. 2. q. 2. a. 2. & alibi: Licet enim in dicto art. 2. exemplum afferat de dispositionibus formam præcedentibus; non tamen intendit asserere gratiam esse dispositionem præcedentem unionem: nam cum dispositionibus naturalibus ad aliquam formam duo conueniant: alterum quod formam ipsam præcedunt in materia; alterum quod materiam reddunt congruam & idoneam illi formæ, quod etiam præstant dispositiones ad formam consequentes, ut patet de calore consequente formam ignis, & de qualitatibus consequentibus naturam animalis aut hominis: sunt enim quædam dispositiones formam in materia conseruantes: adeo ut illis amotis corumpatur unio formæ cum materia, & desinat forma informare materiam, affirmat ibi S. D. gratiam esse dispositionem ad unionem; non quia præcedat, sed quia naturam assumptam reddit unioni congruam. Hanc autem esse mentem D. Thomæ. Probatur primò: Quia S. D. ibi ad secundum affirmat gratiam & habitus omnes virtutum in Christo ex unione fuisse deriuatos; ergo secundum eum non fuere dispositiones unionem præcedentes; sed eam consequentes. Secundò probatur ex modo loquendi S. D. concludit enim. *Vnde ista possunt dici quodammodo media congruentia.* Tertio probatur; quia S. D. in eadem dist. ad Anibaldum, quæst. unica a. 3. in fine c. ait: Lo-

quendo tamen de medio congruentia, animam mediantem gratia, & corpus mediantem spiritu assumpsit: quia congruum erat carnem viuificatam, & animam suam imagine insignitam, & gratia repletam assumere: Vbi de sola congruentia meminit: dicitur autem Verbum animam repletam gratia & virtutibus assumere, non quod præintelligatur natura gratia & virtutibus repleta; sed quia eam assumendo replet iuxta dictum Ioannis supra notatum, videlicet: *quasi vnigeniti à Patre plenum gratia & veritatis.* Non placet, quod hic affirmat Caiet. & quidam alij, nempe D. Thom. hic retractare sententiam; sed arbitror hic eandem doctrinam luculentius explicari.

Secundò notandum est subiectum aliquod aut potentiam posse dupliciter habere ordinem ad aliquam formam aut perfectionem: Vno modo immediate & sic nullo indiget medio disponente & ipsam ordinante ad eam formam aut perfectionem, sicut materia nullo indiget medio eam disponente ad formam substantialem ut sic; quia ad illam ordinatur immediate: materia enim prima secundum se capax est formæ substantialis, ut forma substantialis est: & ad illam habet ordinem transcendentelem, à quo nec per primam intellectus operationem potest separari: *Alia modo* potest aliquod subiectum aut potentia ad aliquam formam aut perfectionem ordinari mediatè, & sic ad eam assequendam indiget medio disponente & eam ordinante ad illam formam aut perfectionem; sicut materia ordinatur ad formam substantialem particularem, puta lapidis, plantæ, Leonis aut hominis: harum enim formarum materia prima secundum se non est proximè capax, sed medijs tantum proprijs cuiusque formæ dispositionibus, per quas ad vnāquamque recipiendam ordinatur, sicut etiam eadem materia non est capax dispositionis accidentalis, nisi mediante forma substantiali prius in ea recepta: Priori modo, scilicet immediate humanitas ordinem habet naturalem ad propriam personalitatem; nam ut ait S. D. *supra q. 7. a. 10.* quod natura habeat esse in suo supposito, non fit mediante aliquo habitu: & quoniam ut ibi de mente S. Th. notat Cai. humana Christi natura eodem modo se habet ad personam Filij Dei, sicut se haberet ad personam propriam, & sicut natura Petri se habet ad ipsam Petri personam; ideo sicut inter naturam & propriam eius personalitatem nulla requiritur media dispositio, vel habitus, sic inter humanitatem & diuinum Verbi personalitatem nulla constituenda, aut fingenda est media dispositio. Et ex his patet, quomodo intelligendum sit illud principium D. Thom. in 1. p. q. 12. a. 5. videlicet: *Omne quod eleuatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet ut disponatur aliqua dispositione, qua sit supra suam naturam:* Verum est enim de eo, quod non habet ordinem immediatum ad eam formam, aut perfectionem ad quam eleuatur: ac proinde capax est dispositionis ad illam, sicut intellectus creatus non ordinatur ad essentiam diuinam, ut formam intelligibilem, & ad clarum Dei visionem immediate sed mediatè: & ideo capax est dispositionis ad illam: hæc autem dispositio est lumen gloriæ, de quo disputat ibi S. D. si autem id, quo eleuatur ad formam, nullius sit capax dispositionis ad illam, sicut de materia dictum est respectu formæ substantialis ut sic, tunc nulla prorsus ad talem formam necessaria est dispositio. Cum igitur humanitas, tam respectu propriæ quam respectu diuinæ personalitatis nullius sit capax dispositionis; sed ad illam immediate, veluti ad suum

suum complementum & terminum ordinetur, sicut linea immediatè ordinatur ad punctum, nulla erit in humana Christi natura postulanda prævia dispositio, qua mediante diuini Verbi personalitate terminetur. Quamuis enim humanitas & persona Verbi secundum rationem entis distent in infinitum, & inter illa sit medius ordo gratiæ, & omnium habituum supernaturalium: non tamen hæc sunt media in ratione dispositionis ad vnionem, & terminationem diuinæ personalitatis respectu naturæ creatæ; quia neque Verbum & humanitas infinite distant in ratione terminantis & terminabilis, sicut materia & forma substantialis vt sic, licet in ratione entis valde distent; in ratione tamen actus & potentiae valde cōueniunt, & ideo nulla media dispositione copulantur.

Gratiæ nō
sunt mediū
extrinsecū
præcedens
vnionem.

Tertio diligenter obseruandum est in assumptione humanitatis duplex medium intelligi posse, alterum intrinsecum ipsi humanitati siue sit essentialē vt anima, quæ medium est respectu carnis, siue non sit essentialē humanitati absolute sumptæ sed ad eius quasi integritatem & naturalem perfectionem pertineat, vt intellectus & voluntas quæ tamen ad integritatem & complementum pertinent simpliciter necessarium ad finem Incarnationis, qui est redemptio generis humani secundum modum à Deo prædefinitum, vt scilicet fieret per operationes liberas intellectus & voluntatis, quibus Dei Filius in assumpta nostra humanitate Deo pro totius humani generis offensis satisficeret, & illi peccatorum remissionem & gloriam mereretur: Alterum est medium extrinsecum neutro dictorum modorum ad humanæ naturæ debitum pertinens complementū, sed quod illi ab extrinseco supernaturalis agentis influxu intelligitur aduenire: quale medium esse gratiam existimant priorum opinionum, quas in principio retulimus, defensores. Sed considerandum est longè diuersam esse rationem mediij connaturalis, & intrinseci à medio supernaturaliter addito & extrinseco; quia medium intrinsecum bene potest intelligi ante vnionem inesse humanitati: nam anima Christi Domini, quatenus per creationem vt in fieri intelligitur à Deo produci, antequam assumatur intelligitur etiam vt tendens ad habendum intellectum & voluntatem, vel etiam vt habens intellectum & voluntatem vt in fieri; quia eodem actu creationis producitur anima rationalis cum suo intellectu & voluntate, licet hæc quasi mediātē producantur: media scilicet animæ essentia, à qua resultant; & ideo intellectus & voluntas media quædam sunt, quibus anima congrua redditur assumptioni; cum præsertim, vt ante diximus, hæc duæ potentiæ ad naturale pertineant rationalis animæ complementum, quod illi secundum præsentem rerum ordinem à natura debetur, quo suas exercere valeat operationes: medium autem extrinsecum & supernaturale, quod prædicti constituunt, scilicet gratia, neque ad complementum pertinet animæ naturale, neque; vllam vnione hypostatica priorem supponit in anima capacitatem; quoniam vt dictum est, anima rationalis seipsa capax est immediatè personalitatis tam propriæ quam eius quæ se habet vt propria.

Quarto sciendum est duplex esse medium respectu formæ seu perfectionis aut finis assequendæ in Christo di, quoddam per modum dispositionis naturalis, quod scilicet ex sui natura disponit & ordinat subiectum ad talem formam & finem; sicut calor disponit ad formam ignis, & lumen gloriæ ad visionem essentiae diuinæ: aliud est medium

per modum dispositionis moralis, quod scilicet non ex sui natura sed ex Dei ordinatione disponit & ordinat subiectum ad formam ad finem supernaturalem; sicut merita disponunt ad gloriam vel ad augmentum gratiæ: quo modo etiam secundum aliquos actus contritionis disponit ad gratiam; & de medio utroque modo sumpto sermo est, cum negat S. D. & eius discipuli vnionem duarum naturarum in Christo factam esse per gratiam.

tionis natu-
ralis, neque
ad modum
dispositionis
moralis.

Quod autem gratia habitualis, aut alia quauis forma supernaturalis nequeat esse physica dispositio necessitans naturam substantialem ad vnionem personalem cum Verbo, probatur his argumentis: *primò*. Quia vel de hac vnione loquimur, prout per eam humanitas acquisiuit subsistere & esse simpliciter, vel quatenus dat esse hominem: Si primum, contra hoc militat ratio D. Thom. quia subsistere & esse substantiale supponitur ad esse accidentale; ergo nulla dari potest dispositio ad subsistere & ad esse substantiale. Et confirmatur; quia S. D. in 1. p. q. 76. a. 6. simili vtitur argumento ad probandum, animam intellectuam non vniri corpori mediantibus dispositionibus accidentalibus, cuius vim explicat ibi subtiliter Caietanus. Si verò de hac vnione sermo sit, quatenus dat esse hominem, probatur nullam illi præuiam esse posse physicam dispositionem necessitantem ad vnionem; quia talis dispositio deberet esse impossibilis cum personalitate creatæ, & eam excludere vel impedire, & inducere personalitatem diuinam, & in ea conseruare naturam humanam: sicut forma ignis per vltimam dispositionem in propria materia conseruatur, & per eandem excluditur & impeditur omnis alia forma impossibilis: at nulla potest esse forma supernaturalis, quæ personalitatem inducat supernaturalem, & in ea conseruet & sit impossibilis cum personalitate creatæ; ergo. Probatur hæc minor: Quia nulla forma supernaturalis est contraria formis & dispositionibus naturalibus; quibus conseruatur natura & personalitas creatæ; quia non sunt eiusdem generis; nulla verò dispositio vim habere potest excludendi creatam personalitatem, nisi ea quæ sit contraria dispositionibus necessarijs ad illius conseruationem. *Secundò* probatur hæc pars specialiter de gratia habituali: Quoniam hæc ex sui natura ad solam beatificam visionem ordinatur: ergo. Probatur hoc assumptum; quia gratia habitualis suum habet vltimum complementum & consummationem in visione beatifica, quod esse non posset, si ad vnionem hypostaticam ordinaretur: tunc enim in solius vnionis hypostaticæ consecutione perficeretur. Consequentia verò probatur; quia omnis dispositio quæ disponit aut necessitat ad aliquam formam, ordinatur ad eius introductionem; quia illa est eius finis. Et confirmatur; quia inter formam & physicam eius dispositionem est naturalis connexio: hæc autem non reperitur inter vnionem & gratiam. Probatur hæc minor; quia gratia habitualis & vnio hypostatica sunt diuersi ordinis, & potest dari gratia habitualis in quacunque intensione in supposito creato absq; vnione cum Verbo personali. *Secundò* confirmatur; quia gratia per se primò est participatio totius essentiae diuinæ, quæ communis est toti Trinitati & non solius esse personalis Verbi, vt sic; ergo si disponderet ad vnionem, non deberet per se dispondere ad vnionem cum Verbo vt sic; sed ad vnionem cum Deo, vt sic. *Tertio* probatur hæc pars; quia si gratia supponitur ad vnionem vt dispositio, eodem modo posset suppositi a-

ctus

Etus eius, scilicet meritum; & ita anima Christi A potuisset vnionem mereri, quod esse falsum constat ex dictis *supra* q. 2. a. 11.

Quarto probatur idem argumento Vasq. Quia Omnis gratia, quæ non supponit filium naturalem, facit suppositum in quo est filium adoptiuum: sed Christus nunquam fuit filius adoptiuus, vt ostendetur *infra* quest. 23. a. 4. ergo gratia eius supponit illum esse filium naturalem; ergo supponit vnionem & non disponit ad illam.

Ex dictis sequitur, impossibile esse gratiam habitualemente esse physicam dispositionem ad vnionem, quæ sit naturaliter illi connexa; ita vt ea posita ponatur vnio & e contra. Probatur: quia Deus non potest immutare naturam gratiæ & vnionis hypostaticæ: sed gratia vt ante diximus ex natura sua non ordinatur ad vnionem, nec vnio ex natura sua supponit gratiam, ergo seruata earum natura gratia non potest esse dispositio physica ad vnionem. Probatur consequentia; quia ad hoc requireretur, vt gratia ex natura sua ordinaretur ad vnionem, & ab ea supponeretur. Confirmatur; quia vel gratia fieret dispositio physica ad vnionem per aliquid illi superadditum, quod sit extra eius essentiam, vel non, sed ipsa penitus immutata: si primum, tunc gratia non erit dispositio, sed rationem dispositionis habebit illud extrinsecum super additum. Nam gratia secundum se in quocumq; gradu constituta non postulat vnionem hypostaticam, sed potest esse in pura creatura.

Quod autem illud superadditum non possit esse dispositio ad vnionem, probatur eisdem argumentis, quibus ostendimus gratiam non esse dispositionem ad vnionem: Si verò nihil superaddatur non poterit esse dispositio; quia ante non erat dispositio, & nunc eodem modo se habet; ergo si antea non disponebat, neque modo disponit. Et confirmatur, ac declaratur: quia accidens non disponit ad formam, nisi communicando se subiecto cum ordine ad formam, & dando illi suum effectum formalem. Hic autem effectus; cum adeo sit intrinsecus forme, vt sit ipsa forma vt communicata, variari nequit, nisi variata formatur: atque ideo, si forma non ordinatur ad finem, non facit subiectum dispositum ad illum. Confirmatur hoc; nam gratia ex non dispositione non potest fieri dispositio absque mutatione: hæc autem mutatio neque esse potest ex parte Dei vt notum est, neque ex parte gratiæ; quia manet inuariata; ergo.

Iam verò gratiam esse non posse medium ad vnionem per modum dispositionis moralis, probatur, primo: quia Ioan. 1. dicitur: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratia, & veritatis*: Quibus significatur gratiam ex vnione hypostatica Verbi cum humanitate deriuari; ergo gratia non fuit dispositio moralis ad vnionem. Probatur sequela; quia dispositio moralis, vt existens mouet animum agentis ad inducendam formam; ergo præcedit eius actionem qua producit formam; & ideo meritum quod est quedam dispositio moralis ad præmium, præcedit ipsum præmium, vt in allegato art. 11. docet S. D. & eius expositores. *Secundò* probatur eadem pars; quia si gratia est dispositio moralis ad vnionem, gratia Christi non fuisset eius humanitati collata intuitu vnionis; sed magis vnio facta fuisset intuitu gratiæ habitualis; ac proinde talis gratia faceret Christum filium adoptiuum; quod esse falsum probatur inferius loco *supra* notato. Probatur vltima consequentia: quia gratia non

potest dari, nisi intuitu adoptandi filium, vel intuitu vnionis; ergo, si talis gratia non fuit data Christo intuitu vnionis, sed potius vnio propter illam, data erit intuitu adoptandi filium.

PRIMA CONCL. *Gratia habitualis non fuit mediū conclusionis, formaliter vnionem causans, cui proprius humana natura conuagatur, quam diuine persone; ita scilicet vt probate, fuerit mediū per modum nexus & glutinis extrema coniugens.* Hæc est conclusio S. D. in 3. dist. 2. q. 1. 2. a. 2. Et *supra* q. 2. a. 10. vt patet ex dictis: & probatur argumento S. D. Quia sicut inter materiam & formam nihil cadit mediū in esse: aliàs esse accidentale esset prius substantiali, quod est impossibile; ita etiam inter naturam & suppositum non potest aliquid dicto modo mediū cadere; cum vtrique conditio sit ad esse substantiale.

SECUNDA CONCL. *In assumpta humanitate nulla præfuit dispositio, quæ cum vnione eiusdem humanitatis ad Verbum naturalem haberet connexionem: ita vt posita illa dispositione statim ex natura rei fuerit vnio consecuta.* Hæc patet ex dictis & probatur eam Suar. disp. 10. sect. 2.

TERTIA CONCL. *In eadem humanitate non fuit necessaria gratia, aut vlla alia præuia dispositio, vt ea mediante vniretur Verbo Dei personaliter.* Hæc concl. patet ex dictis, & probatur eam Suar. loco notato, & ante eum Medina, quest. sequenti, art. vltimo.

QUARTA CONCL. *Gratia habitualis Christi non præfuit in eius humanitate, vt congrua dispositio physica, vel moralis ad vnionem.* Hæc etiam patet ex dictis, & probatur eam S. D. in textu, & in seq. quest. art. vlt. & ibi Medina, & Suar. loco notato.

VLTIMA CONCL. *Gratia Christi habitualis fuit dispositio congrua respectu vnionis hypostaticæ, non tamen eam præcedens sed consequens vt explicauimus ex Cai. Hanc conclusionem recipiunt omnes recentiores, & patet ex dictis.*

CONTRA primam concl. sunt argum. quæ Argumēta, profert & soluit S. D. in 3. loco notato, & eandem concl. impugnant argumenta quæ militantes, *contra* 2. 3. & 4. concl.

CONTRA easdem quatuor primas concl. sunt argum. quæ referunt & solunt S. D. hic, & *supra* q. 2. a. 10. Et q. seq. a. vlt. & Suar. disp. 10. sect. 2. & Vasq. disp. 40. & Aluar. disp. 14.

CONTRA easdem concl. produci possunt hæc obiecta argumenta. Primum. Psal. 44. dicitur: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, &c.* quæ Verba D. Apost. ad Hebr. 1. & Sancti Patres interpretantur de vnctione humanitatis per vnionem hypostaticam cum persona diuina; ergo ea dilectio præcessit vt dispositio. Resp. ea dictione propterea significari causam efficientem, & hunc esse sensum: Quia Deus vnxit te &c. ideo dilexisti iustitiam; ita vt in constructione verborum causalis illa propterea anteponatur, vt ibi Caietanus aduertit; & innuit S. Th. Hoc enim modo loquendi non raro vtitur diuina scriptura. Exempli gratia, Psal. 16. dicitur: *Ego clamaui; quoniam exaudisti me*, id est: quoniam clamaui exaudisti me. Et ad Gal. 4. *Quoniam estis Filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra* id est. Quoniam misit Deus spiritum filij sui in corda vestra per gratiam; ideo estis Filij Dei, vt exponit ibi S. D. & August. lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 14. & Ioan. 6. *In veritate non stetit, quia non est veritas in illo*, id est: quia non stetit in veritate; ideo non est veritas in illo. Vnde S. D. exponens illa verba: *Ego clamaui; quoniam exaudisti me* ait: dilectio-

tionem illam quoniam, non designare causam sed signum, ac si dictum esset; hoc est signum, quod clamaui; quoniam exaudisti, quæ expositio in idem redit cum priori; quia effectus est signum suæ causæ; igitur causa exauditionis erit clamor. *Secundo Resp.* cum D. Th. Christum vnitionem illam non meruisse; sed eius manifestationem, & in scripturis dici aliquid fieri, quando innotescit, & ita dictio propterea dicit causam finalem: vt ait ibi S. D.

Obiectio 2. Secundum argumentum sumitur ex varijs locis doctrinæ D. Th. nam q. seq. 4. 12. ait vnionem hanc fuisse finem gratiæ Christi, & in respons. ad 2. ait: gratiam habitualement Christi ordinari ad hanc vnionem, & qu. 8. art. 5. ad tertium ait, gratiam habitualement facere congruitatem ad hanc vnionem, & in tertio distinct. 2. quaest. 2. artic. 2. quaestumc. 1. ait: in humana Christi natura inueniri quædam superaddita, quibus redditur decens, vt assumatur à diuina persona, vt scientiæ & virtutes & huiusmodi. Vnde inquit ista possunt quodammodo dici medium congruentiæ. Et in 3. ad Anibaldum, dist. 2. q. vñca a. 3. ait, loquendo de modo congruentiæ, Verbum assumpsisse animam mediante gratia, & corpus mediante spiritu; quia congruum erat carnem viuificatā & animam suam imagine insignitam & gratia repletam assumere. Qua forma loquendi satis aperte significat Verbum assumpsisse animam mediante gratia eodem modo, quo assumpsit illam mediante spiritu; sed, vt supra dictum est, art. 2. Spiritus fuit medium ad assumendum animam; ergo etiam gratia habitualis. Denique in 3. dist. 13. quaest. 3. art. 2. q. 1. Et ad Anibaldum ibidem art. 2. ait, gratiam habitualement esse dispositionem congruentem ad vnionem; ergo. *Resp.* hæc dicta esse intelligenda & exponenda iuxta sensum in primo notabili declaratum, vt scilicet intelligantur de congruitate & dispositione in ordine ad vnionem iam à Deo factam, & de dispositione exornante humanitatem iam Deo personaliter vnitam non autem vniendam.

Obiectio 3. Tertium argum. est: ordo sapientiæ diuinæ posulat, vt extrema valde distantia non vniantur, nisi per medium; sed persona Verbi & humanitas distant in infinitum, & inter ea mediat esse Deum per participationem, quod tribuit gratia; ergo illa debent vniri mediante gratia. *Resp.* prædicta extrema scilicet Verbum & humanitatem distare in infinitum in ratione entis; nō autem in ratione terminantis & terminabilis, vt supra diximus.

Obi. 4. Quartum argum. est: Omne quod eleuatur ad aliquid quod excedit suam naturam, oportet vt disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra naturam suam, vt ait S. D. 1. p. q. 12. a. 5. sed humanitas in hac vnione eleuatur ad personalitatem Verbi, quæ est supra totam eius naturam; ergo oportet vt aliqua supernaturali dispositione disponatur ad illam. *Resp.* maiorem esse veram de eo, quod non habet ordinem immediatum ad eam formam aut perfectionem ad quam eleuatur, & de eo quod capax est dispositionis ad illam, quod hic non habet locum, vt supra diximus. Hanc responsonem indicat S. D. in 3. dist. 2. q. 2. a. 2. q. 1. ad 3.

Obiectio 5. Quintum argum. est: Ex hoc quod vnio materiæ & formæ est substantialis, non tollitur quin forma substantialis vnatur materiæ mediante aliqua dispositione accidentali: nam, exempli gratia, forma ignis vnitur materiæ mediante calore tamquam præuia dispositione; igitur ex eo quod hæc vnio sit substantialis, non

Naz. in D. Thom. 3. partem.

A tollitur quin possit fieri mediante gratia disponente. *Confirmatur primo:* quoniam, vt ait S. D. *Conf. 1. supra quaest. 4. art. 2.* humanitas præintelligitur vnioni; ergo intelligitur mutari & eleuari, priusquam intelligatur vnita; ergo etiam potest intelligi disposita per aliquod supernaturale, priusquam intelligatur vnita. *Secundo confir-* *Conf. 2. matur:* Quia humanitas vnitur Verbo mediante passiuâ motione supernaturali: hæc autem est aliqua gratia cum sit supernaturalis; ergo. *Tertio Conf. 3. confirmatur;* quia gratia B. Virginis fuit dispositio, vt congruè esset mater Dei; ergo multo magis gratia collata humanitati Christi erit dispositio congrua ad vnionem. *Resp.* nullam esse consequentiam; quia materia non habet ordinem immediatum ad illam formam, cui vnitur medijs præuijs dispositionibus accidentalibus: natura autem substantialis habet ordinem immediatum ad substantiam. *Ad primam confir.* dico *Ad 1. Conf.* humanitatem, vt in via ad esse præintelligi assumptioni; non autem, vt habens esse veluti in termino. Cum igitur illa mutatio sit via ad esse, præintelligitur assumptioni; sed habere gratiam supponit naturam & gratiam, vt existentem veluti in termino. Quod esse falsum superius ostendimus: & ideo humanitas ante assumptionem non potest intelligi vt habens gratiam. *Ad 2. Conf.*

C *secundam confirmationem* admissio toto argumento, negatur vltima consequentia; quia licet hæc vnio effectiue & passiue facta fuerit per gratiam, id est per gratuitam Dei voluntatem, & per efficacem & gratuitam eius actionem, tam physicè quàm metaphysicè sumptam, non tamen ideo dicitur facta mediante gratia, tamquam nexu ad dispositionem ad vnionem, sed mediante actione & passione gratuita: actio enim agentis vt sic neque dispositio est neque nexus extremorum, quæ sunt in effectu composito. *Ad tertiam confirmationem* dico nullam esse consequentiam: quia gratia Beatæ Virginis præcessit eius maternitatem; ideo rationem habere potuit moralis dispositionis ad maternitatem, sed gratia Christi posterior fuit vnione, sicut effectus sua causa: & ideo non potuit esse dispositio moralis, quæ Dei voluntatem moueret ad faciendam vnionem humanitatis cum Verbo.

Sextum argum. est: Anima Christi priusquam vniretur Verbo habuit alia accidentia, quibus disponebatur ad vnionem; ergo etiam potuit habere gratiam disponentem ad illam. Antecedens probatur in articulo 2. Vbi dictum est, animam assumptam fuisse mediante intellectu; ergo prius habuit intellectum vt disponentem ad vnionem quàm assumeretur. Deinde corpus Christi prius fuit organizatum quàm assumptum: non enim fuit assumptum nisi quia erat humanum: non potuit autem esse humanum sine organizatione. Consequentia verò probatur; quia tota ratio, ob quam negatur humanitatem fuisse assumptam mediante gratia est; quia humanitas non est capax esse accidentalis, priusquam substantialis; & non habuit esse substantiale ante vnionem; ergo ante illam non potuit habere esse accidentale gratiæ; hæc autem ratio non conuincit, vt probatum est: ergo. *Resp.* falsum esse antec. *Ad primam eius Solus.* probationem dico animam ante assumptionem habuisse intellectum vt in via, quod satis est vt anima dici possit assumi mediante intellectu: Ad aliam probationem dico organizationem corporis non præcedere omne esse substantiale, sed tantum formam & esse, vt est hominis: &

Id ideo

ideò formam hominis & eius esse præcedit subiectum capax accidentalis organizationis: sed ante hominem vt dat personam hominis, nõ intelligitur subiectum capax gratiæ habitualis, quod est persona rationalis; atque ideò non est eadem ratio. *Secundò respondetur*, non esse eandem rationem de medio intrinseco, quale medium est intellectus & voluntas, & de medio extrinseco quale medium est gratia, vt supra declarauimus in tertio notabili.

Obi. 7.

Septimum: Vt dispositio præcedat formam satis est vt in genere causæ materialis sit prior forma & existentia substantiali secundum particularem rationem talis formæ, exempli gratia, vt est humana vel equina, vt ait S. D. in 1. p. q. 76. a. 6. ad 1. licet forma vel etiã existentia substantialis sit simpliciter prior; ergò licet anima Christi secundum rationem communem substantiæ prius simpliciter habeat existentiam Verbi quàm gratiam, tamen secundum rationem suam particularem, vt est humanitas, poterit prius disponi per gratiam, quàm vniri, sic enim gratia prior est tantum in genere causæ materialis. *Resp.* nullam esse consequentiam, quia dispositio ante vltimum gradum formæ particularis habet subiectum, in quo recipiatur; sed gratia habitualis non habet illud in Christo ante vnionem.

Solut.

Obi. 8.

Octauum: Gratia Christi licet ab vnione procedat potuit tamen esse in anima illius prius, quã substantia in genere causæ materialis; ergò. Probatur antecedens quia contritio procedens à gratia est prior illa in genere causæ materialis; & ideò disponit ad illam; ergò. *Confirmatur*; quia Deus potuit pro sua libera voluntate conferre animæ Christi gratiam in aliquo priori causæ materialis cum ordine ad vnionem hypostaticam, quæ ordinatio sufficit, vt gratia sic à Deo collata sit dispositio moralis ad vnionem; ergò. *Resp.* falsum esse antec. Ad probationem negatur consequentia; quia ante gratiam supponitur subiectum capax contritionis; sed ante vnionem non supponitur subiectum capax gratiæ. *Ad confirm.* negatur antecedens; quia licet potuerit. Deus ordinare gratiam habitualement ad exornandam vnionem factam: tamen seruato ordine naturæ creatæ ordinare non potuit, vt illa gratia moraliter diserneret ad vnionem; quia tunc illa esset gratia adoptionis & præcederet vnionem; quod esse non posse satis ostendimus: Contritio verò physicè disponit ad gratiam; quia naturalem habet cum ea connexionem; & non tantum liberam ordinationem ex Dei voluntate deriuatam.

Solut.

QVAESTIO. SEPTIMA.

De gratia Christi, prout est quidam singularis homo, in tredecim articulos diuisa.

DEinde considerandum est de coassumptis à Filio Dei in humana natura. Et primo de his, quæ pertinent ad perfectionem. *Secundò*, de his, quæ pertinent ad defectum.

Circa primum consideranda sunt tria. Primò de gratia Christi: *secundò*, de scientia eius: *tertiò*, de potentia ipsius.

De gratia autem Christi considerandum est dupliciter. *Primò* quidem de gratia eius, secundum quod est quidam singularis homo. *Secundò*, de gratia eius, secundum quod est caput Ecclesie. Nam de gratia vnionis iam dictum est.

Circa primum quaruntur tredecim.

Primò, vt in anima Christi sit aliqua gratia habitualis.

Secundò, vt in Christo fuerint virtutes.

Tertiò, vt in eo fuerit fides.

Quartò, vt in eo fuerit in eo spes.

Quintò, vt in Christo fuerint dona.

Sextò, vt in Christo fuerit timor donum.

Septimo, vt in Christo fuerint gratia gratis data.

Octauò, vt in Christo fuerit prophetia.

Nonò, vt in eo fuerit plenitudo gratia.

Decimò, vt talis plenitudo sit propria Christi.

Vndecimò, vt Christi gratia sit infinita.

Duodecimò, vt potuerit augeri.

Decimotertiò, qualiter hac gratia se habeat ad vnionem.

Ratio ordinis.

TRACTATVM hunc primum huius tertie partis, in quo disseritur de sacrosancto Incarnationis mysterio, diuisit in exordio primæ quæstionis. S. D. in tres partes, quarum prima est de conuenientia Incarnationis, quæ prima quæstionibus quinque quæstionibus continetur. Postrema est de consequentibus eandem vnionem, siue de coassumptis à Filio Dei in humana natura, quæ à præsentis quæstione sumit initium, & in 26. terminatur. Huius verò partis duo sunt membra, In quorum primo agitur de coassumptis ad perfectionem pertinentibus ab hac quæstione vsque ad decimamtertiam inclusiuè: In altero verò de coassumptis defectum implicantibus agit duabus alijs sequentibus quæstionibus art. 14. & 15. Ad perfectionem verò pertinentia tria sunt, scilicet gratia, scientia & potentia, de quibus ordinatè disserit S. D. & primò de gratia: quia hæc vnioni proximior est, & ex ea primò resultat, cum sit in essentia animæ. Cum verò sit duplex in Christo gratia: altera prius illi conueniens prout est quidam homo singularis: altera posterius illi congruens prout est Ecclesiæ caput: ideò quæstione præsentis, tredecim articulis de priori gratia disputat. Quorum hic videtur esse ordo. Nam gratia sumitur hic, prout extenditur ad gratiam gratum facientem, ad virtutes gratiam hanc consequentes: ad dona eidem connexa & ad gratias gratis datas. Ex his verò gratiarum modis illi, qui à Deo homini conferuntur, vt in se ipso perficiatur, priores sunt ijs, qui homini à Deo donantur, vt per eos alij homines reducantur in Deum: perficitur autem homo in se ipso per gratiam gratum facientem per virtutes & dona: in ordine autem ad alios in Deum reducentes perficitur per gratias gratis datas: Et ideò primò de illis, & postremò de his agit S. D. Ex illis verò tribus prima est ex genere suo secundum ordinem naturæ gratia gratis data, quæ est in essentia animæ & propinquior est vnioni. Secundum locum tenent virtutes potentias animæ perficientes; & ad ipsam veluti proprietates quasi naturaliter consequentes. Vltimò sunt dona Spiritus sancti ad ipsarum virtutum perfectionem pertinentia, vt patet ex 1. 2. q. 68. a. 1. Et quia quæstio An est prior est quæstione quid est, & hæc præcedit quæstionem quomodo est: ideò S. D. in primis 8. a. tractat pertinentia ad quæstionem an est; in alijs autem quatuor sequentibus agit de pertinentibus ad quæstionem quid est: ex illis enim innotescit quidditas & propria differentia gratiæ Christi à gratia ceterorum hominum, & Angelorum. Denique in vltimo

mo